ACTA

SANCTI BRENDANI

ACTA SANCTI BRENDANI:

Original Latin Documents

CONNECTED WITH

THE LIFE OF SAINT BRENDAN,

Patron of Kerry and Clonfert.

EDITED BY

RIGHT REV. PATRICK F. MORAN, D.D,

BISHOP OF OSSORY.

DUBLIN:

WILLIAM BERNARD KELLY, 8, GRAFTON-STREET.

1872.

BROWNE AND NOLAN, PRINTERS, NASSAU-STREET, DUBLIN.

TO THE

RIGHT REV. JAMES MURRAY, D.D.,

Bishop of Maitland, New South Wales, Australia,

INHERITOR OF THE DISINTERESTED ZEAL AND OTHER VIRTUES OF OUR EARLY MISSIONARY SAINTS,

This little Volume is humbly inscribed,

AS A SMALL TOKEN OF MANY YEARS' FRIENDSHIP,

BY

✠ PATRICK F. MORAN.

KILKENNY,
September, 1872.

PREFACE.

MOST of the documents contained in this volume are now published for the first time. The ORATIO S. BRENDANI is full of the deepest piety, and will be found to present a striking resemblance with the Hymn of St. Colman in the "Liber Hymnorum," and other prayers of our early Church. It is preserved in two ancient MSS., one in the Monastery of St. Gall, in Switzerland, (MSS. No. 321); the other in the Bibliotheca Sessoriana, Rome (B. cxxvii.)

The *Metrical Life* of St. Brendan is extremely quaint and curious. The only ancient copy of it known to exist is that of the Cotton MSS., from which the present text has been copied, through the kindness of RICHARD SIMS, Esq., of the British Museum.

Probably, however, our Irish hagiologists will consider the VITA SANCTI BRENDANI, which holds the first place, the most important tract in the volume, on account of the many interesting facts which it records connected with St. Brendan and his cotemporary Irish Saints. The text is taken from that most valuable repertory of the Lives of our early Saints known as the LIBER KILKENNIENSIS, now preserved in Marsh's Library, Dublin.

Higher duties have not allowed me sufficient leisure to be able to insert, as was intended, in this introduction, all the

additional notices of St. Brendan which are met with in our Irish MSS. There are, however, a few particulars to which I deem it necessary to call the reader's attention.

1. The *Vita S. Brendani* merely states in general terms that the Saint was born "in that western district of Munster which is called Kerry;" and from the narrative which is added, it is manifest that the place of his baptism was not far distant from his home. The Irish Life identifies the spot where St. Brendan was baptized as *Tubber-na-Molt*, or "The Wedders' Well," which is situated in the townland of Tubrid, not far from Ardfert: and it adds, that "the precise place of his birth was *Alltraighe Caille*, situated in *Ciarraighe Luachra*."—(*Book of Lismore*, fol. 72). That portion of Kerry which extends from the slopes of Sliebh-Lougher to the sea was anciently known as *Ciarraighe Luachra;* and *Alltraighe Caille* seems to have designated the lesser district almost wholly comprised between Ardfert, Fenit, and Tralee. However, the Tract entitled NAVIGATIO SANCTI BRENDANI has one phrase which may, perhaps, serve to define still more closely the birthplace of our Saint. It says: "*e Stagnili regione Momoniensium ortus fuit.*" We may translate this sentence:—"He was born in a district of Munster called *Annagh*," for this old Irish name, which means *a marsh*, precisely corresponds with the Latin *Stagnile.* Close to Tralee there is still a parish which bears the name of *Annagh.*

2. The name of St. Brendan occurs in all our ancient martyrologies, and his feast is invariably marked on the 16th of May. Thus, St. Ængus in the *Felire* on that day:—

> "The summons of Brendan of Cluain
> Into the victorious eternal Kingdom,"

and the gloss adds:—"*i.e.*, the calling of Brendan of Clonfert to the Kingdom of God."

The *Martyrology of Tallaght* has, on the same day:—"Brendini Cluana Ferta." Marianus O'Gorman devotes one line to his memory:—"Brendan, without a particle of pride." The *Martyrology of Donegal* has a long notice of our Saint on the 16th of May, and styles him "Abbot of Cluainferta-Brenainn." The *Martyrology of Christ Church*, published by Dr. Todd, has also "Sanctus Brendanus, Abbas et Confessor."

Selbhach, in his "Metrical List of the Saints of Inisfail," thus commemorates SS. Brendan and Mochuda:—

"Brendan, son of fair Findlug,
And Mochuda, son of Findall,
A holy pair with penitential countenances,
Of the race of Ciar, son of Fergus."

The very ancient Catalogue of Saints "*who were similar in their manner of life*," preserved in the Book of Leinster, unites together "St. Thomas the Apostle, and St. Brendan of Clonfert." St. Cuimin, of Connor, also, in his poem on the characteristic virtues of the Saints of Ireland, devotes a strophe to our Saint:—

"Brendan loved perpetual mortification,
According to his synod and his flock;
Seven years he spent on the great whale's back;
It was a distressing mode of mortification."

3. Some writers have supposed that St. Brendan was Bishop as well as Abbot, and indeed the silence of the ancient Martyrologies would not of itself be sufficient to refute that opinion. For instance, O'Clery, in the Martyrology of

Donegal, merely styles our Saint an Abbot, yet in the Book of Genealogies (*St. Isidore's MSS.*) expressly calls him "*Brenoin Easbacc*," that is, "Bishop Brendan."

The fragment, however, of the "Book of Leinster," preserved among the St. Isidore's MSS., sets this question for ever at rest. It gives us a short but invaluable Tract, ascribed to St. Ængus, which divides the Saints of Ireland according to their respective orders, as Bishops, Priests, and Deacons. Now, it is among the Priests that it marks both St. Brendan, of Birr, and *St. Brendan mac hu Alta*, that is, the great patron of Kerry and Clonfert, of whom we treat.

4. The Sees of Ardfert and Clonfert honour St. Brendan as their patron. Innumerable places in various parts of Ireland bear his name, and several churches are dedicated to God under his invocation. In Scotland, as we learn from the Martyrology of Aberdeen (see *Kalendars of Scottish Saints*, by Dr. Forbes, 1872, page 286), St. Brendan ruled as patron "the royal island of Bute" (*regalem insulam de Buta*): indeed, as Fordun informs us, it was from a cell erected by St. Brendan, which, in the old Gaelic, was called *Bothe*, that the whole island of Bute derived its name (*nostro idiomate* BOTHE.—Fordun, lib. i., cap. 29). Eassie, in Forfarshire, is also dedicated to St. Brendan; and many churches in Mull, St. Kilda, and other parts of Scotland, still preserve his name.

✠ P. F. M.

VITA S. BRENDANI.

CAPUT I.

BIRTH OF ST. BRENDAN.

NATUS est beatissimus Brendanus Abbas in zepharia Mumenensi plaga, in regione quae dicitur *Kyarragi* quae gens est § circa oras littoris hyberniae contra solis occasum; cujus pater *Findluag* nomine erat fidelis, qui cum uxore sua in legitimo matrimonio sub confessione Erci[1] Episcopi vivebat. Mater jam Sancti Brendani antequam natus ipse esset vidit visionem, id est, sinum suum auro obrizo plenum et mamillas suas magno radiantes splendore. Et hanc visionem narrans Sancto Erco Episcopo, interpretatus est eam dicens: o mulier beata, homo magnae felicitatis, plenus Spiritu Sancto, ex te siquidem nascetur. Quod non post multum tempus in Sancto Brendano completum est.

[1] The Annals of Ulster thus record the death of this holy Bishop: "A.D. 512: the rest of Erc, Bishop of Slane." The Annals of the Four Masters, under the same year, have the following entry: "Saint Erc, Bishop of *Lilcach* (now unknown) and of *Fearta fear-Feig* (*i.e.*, Slane), by the side of Sidhe Truim to the west, died on the second day of the month of November; his age was fourscore and ten years when he departed." The *Chronicon Scotorum* places his death in 511, corrected in the margin to 513, which is the true date, as the Annals of Ulster, down to the year 1014, are antedated by one year.

§ Incorrect transcript

Incorrect: not the same S. Erc.

CAPUT II.

THE SANCTITY OF ST. BRENDAN FORETOLD BY BECC MAC DE.

QUIDAM vir magnus et dives filius *Airde* erat in regione *Kyarragi* ad cujus hospicium venit quadam nocte veridicus propheta nomine Beccus,[2] et interrogavit eum ille dives dicens: dic nobis propheta aliquid novum bonum quod cicius veniet. Cui ait propheta: in hac nocte inter te et mare dominus tuus nascetur cui semen tuum per tempora serviet quem multi pro sua sanctitate adorabunt. In illa jam nocte illi diviti xxx vaccae vitulos parturiverunt. Et indicavit illi villam in qua nasceretur infans. Mane autem ille dives surrexit et venit ad indicatam sibi villam, et inveniens natum infantulum adoravit eum flexis genibus et ei obtulit xxx. illas vaccas cum vitulis suis. Et elevans infantem in sinum suum dixit coram omnibus: Confiteor te fili in alumpnum meum et suscipe me in nutritorem tuum. Et gaudens reversus est. Cujus regio et genus est hodie in parrochia Sancti Brendani.

[2] Colgan, *Acta SS.*, p. 191, writes: "A.D. 557, S. Beccus Mac De, celebris propheta, obiit." The Annals of the Four Masters have the same entry: "The age of Xt, 557; the nineteenth year of Diarmid: St. Bec, son of De, a celebrated prophet, died." The Annals of Ulster mark his death in the year 552 (*i.e.*, 553) according to some authorities, and subsequently, according to other authorities, in 557: "The death of Bec, son of De, the prophet." The name of St. Becc is entered in the Irish calendars at the 12th of October. He was the son of Deagh, who was also called De-Druad, the sixth in descent from Maine, son of Niall of the Nine Hostages. The Book of Lecan styles him "Kinsman and chief Prophet of Diarmait, King of Ireland" (*fol.* 130 *b.*) Among his prophecies is mentioned that he predicted the death of Diarmait, and the manner in which it would come to pass. The Annals of Clonmacnoise, at the year 550, mention another of his prophecies: "A.D. 550: the prophet, Beg mac De, began his prophecies; he prophesied that Lords would lose their chieftancies and seigniories, and that men of little estates would lose their lands, because they should be thought little; and lastly, that there should come the great mortality of men, which would begin in Fanaid in Ulster, called the *Scuab Fanait*, i.e., *the besom of Fanad.*" An account of his death is given by O'Donnell in his Life of St. Columba, *Trias Thaum.* page 403. The *Chron. Scot.*, at the year 482, cites a short poem of Bec Mac De on the battle of Ocha, and at 827 gives his prophecy regarding the battle of *Lethe-cam*:—

> "A fierce pair shall there meet,
> Eoghan shall be King over Eoghan,
> Noble the conflict which shall be there."

It marks his death in 553; and at 545 has the entry: "*Bec mac De, prophetare, incipit.*"

CAPUT III.

BAPTISM OF ST. BRENDAN :—HE IS PLACED UNDER THE CARE OF ST. ITA.

SANCTUS autem Episcopus Ercus in illa nocte vidit regionem circa villam in qua natus est Sanctus Brendanus illuminatam luce clarissima et angelos circum volantes supra villam illam. Et exurgens mane venit ad domum Findloga patris Sancti Brendani. Et accipiens eum in ulnis suis ait ei: Homo Dei vivi suscipe me monachum tibi obedientem. O homo Dei! quanto gaudio corda hominum de tua nativitate debent laetari cum angeli laetentur in coelis de te. Et cor meum majus omnibus de te gaudet. Lachrymansque episcopus baptizavit infantem vocavitque eum Brendanum. Benedicensque Sanctus Ercus episcopus infantem reversus est ad sua. Nutritusque pius puer Brendanus est uno anno in domo parentum suorum, finitoque anno venit Sanctus Ercus Episcopus post Sanctum Brendanum et duxit eum secum ut aleretur apud Sanctissimam Virginem Ytam[3] in suo claro monasterio quondam dicto *Cluain-credal*, modo vero *Ceall-yte*, id est, *cella Ytae* juxta radices montis Luachra in regione *Hua-conayll-Gabra*[4] habitantem.

[3] As St. Brendan was born in the year 483, St. Ita must have been, at that date, at least in her twentieth year; and we may suppose that her great monastery at *Ceall-Ita*, now *Killeedy*, in the co. Limerick, was founded under the guidance of our Apostle about the year 480. She died full of years as of sanctity, according to the Annals of Ulster, in 569 (*i.e.*, 570)—"Itea of Cluain-Credhail fell asleep;" but in accordance with some other ancient authority the same entry is repeated at the year 576. The *Chronicon Scotorum* places her death correctly in 570. The Annals of the Four Masters, at 569, have the entry: "St. Ite, virgin, of Cluain-Creadhail, died on the 15th of January. She was also called Mide," *i.e.*, *Mo-Ide*. Under this familiar form of her name she is Patron of the ancient churches of *Kilmeedy*, in the counties of Limerick, Waterford, and Cork.

[4] The territory of Ui-Conaill-Gabhra occupied the S.W. of the present county of Limerick and the northern districts of Kerry. "Mons Luachra" is undoubtedly the *Sliabh-Luachra* of our Annals, and is identified by O'Donovan with *Slieve-Lougher* in the county Kerry.

Et Sancta Yta cum gaudio magno suscepit Sanctum Brendanum et nutrivit eum quinque annis diligebatque eum valde. Et videns gloriosa virgo Yta eum iocundo frequenter animo, interrogabat eum dicens: O sancte infans quid laetificat te? Sanctus puerulus dicebat puerili loquela: quia te video mihi loqui et alias tibi similes sanctas virgines, semper et me letificant tenentes me in manibus suis. Aiebat ei sancta: sit de te fili mi gaudium in coelo.

CAPUT IV.

ST. BRENDAN EDUCATED BY ST. ERC.

POST jam quinque annos venit supradictus Sanctus Episcopus Ercus et reduxit Sanctum Brendanum secum ad legendum, et erat Sancta Ita tristis, de absencia sui alumpni. Beatus jam Brendanus die ac nocte legebat apud Sanctum Episcopum Ercum. Quaerebat pius puer Brendanus quodam die lac et postulavit secundum suam naturam ut biberet, sed nec lac neque vacca tunc erat in illo loco. Exaudiens autem Dominus querimoniam sancti pueri fecit cervam cum suo vitulo de monte Luachra[5] venire ad eum de cujus lacte satiatus est felix puer. Et deinde per multos dies similiter cerva veniebat ad locum illum et mulgebatur pro parvo Brendano. Habebat Sanctus Brendanus germanam nomine Brig,[6] quae visitans eum effecta est gratia Spiritus Sancti sancta et casta virgo. Et post tempus ipsa sub cura Sancti Brendani, Xti ancillas nutrivit. Quam valde Sanctus Brendanus amavit: cujus facies quasi aspectus lunae; facies sui sancti magistri Erci Epi. quasi globus solis semper videbatur.

[5] From this it appears that the cell of St. Erc and St. Brendan was not very far distant from the monastery of St. Ita.

[6] St. Briga, under the guidance of her brother, ruled a monastery of holy virgins at *Eanach-duin*, now Annadown, on the east margin of Lough Corrib, in the barony of Clare, and county of Galway. It was at this monastery that St. Brendan died: it became so famous in after times that it gave name to an Episcopal See, which is now united to Tuam.

CAPUT V.

ST. BRENDAN ACCOMPANIES ST. ERC IN HIS MISSIONARY VISITATIONS.

BEATISSIMUS puer Brendanus cum decem annorum esset exiit in comitatu Sancti Erci Episcopi. Ipse enim Ercus solebat semel in anno ire per regionem praedicare plebibus. Quodam die descendens Sanctus Episcopus Ercus de suo curru praedicare turbis, Beatus Brendanus mansit in curru et sedebat legens vidensque eum pulchra nimis puella filia ducis regionis volebat cum eo ludere et ascendere ad illum in curru. Cui ait sanctus: quid huc quaeris filia? revertere ad propinquos tuos. Illa autem nolens reverti, accepit sanctus puer flagellum et percussit eam fortiter multis vicibus. Quae flens et tristis reversa est ad suos. Sui vero conduxerunt eam Sancto Episcopo. Post praedicationem rediens sanctus senior Episcopus increpavit Sanctum Brendanum dicens: quare percussisti beatam virginem non cognoscentem adhuc malum: non enim caussa peccati voluit tecum ludere, sed caussa jocunditatis. Respondit Sanctus Brendanus: vere non caussa peccati percussi eam sed volens vacare divinae lectioni. Respondit Episcopus: poenitentiam fili age. Puer sanctus respondit: dic quid vis pater, et ego illud implebo. Tunc exeuntes inde, dixit ei Episcopus; mane in illa spelunca usque mane solus in divinis laudibus. Et Sanctus Brendanus perrexit in illam speluncam solus et mansit ibi usque mane, Psalmos et ympnos[7] Deo decantans. Et reversus est Sanctus Episcopus ad illum, sedens per noctem prope speluncam nesciente Sancto Brendano: et videbat Episcopus choros angelicos inter illam speluncam et coelum per vigilias noctis. Simulque mane inde exierunt gratias Deo agentes.

[7] The reader will remark this characteristic Irish form of the word *hymnos*.

CAPUT VI.

ST. BRENDAN, BY A MIRACLE, SAVES THE LIFE OF A FELLOW-TRAVELLER.

ALIO die cum Sanctus Ercus Episcopus et Beatus Brendanus ambularent in via, accidit ut quemdam militem in comitatu haberent. Qui cum vidisset inimicos suos sibi occurrentes dixit ad sanctos. Ecce inimici ad me occidendum veniunt, et non possum contra tam plures debellare, neque habeo locum fugiendi. Cui Sanctus Brendanus ait: Vade et sta juxta propinquum lapidem, elevansque manus suas in oratione benedixit virum et lapidem. Venientes vero inimici apparuerunt eis lapis quasi vir et vir quasi lapis. Et mutavit Sanctus Brendanus in Dei nomine lapidem in formam viri et virum in formam lapidis. Irruentes inimici occiderunt hostem et amputarunt caput ejus. Lapisque ille truncus quasi corpus humanum stat adhuc. Exeuntes inde simul sancti et inimici ille homo evasit liber. Sciensque Sanctus Ercus Episcopus quod longe ille dicessit ait illis: debetis O miseri! perviam agere, quod non dedistis honorem Dei servis. Deus autem meus defendebat nos: videte modo caput quod habetis. Et respicientes caput lapideum in manu sua, cognoverunt perviam, admirantes hoc miraculum. Et quinquaginta ex illis manserunt sub lege Sancti Episcopi Erci, usque ad mortem suam, in servicio Christi.

CAPUT VII.

A FOUNTAIN OF WATER ISSUES FORTH AT THE PRAYER OF ST. BRENDAN.

QUADAM die Sanctus Ercus Episcopus et Sanctus Brendanus pro aliqua necessitate (fuerunt) in monte Luachra: sitivit Sanctus Episcopus senex valde et quasi imminebat ei mors;

fervida enim dies aestatis erat et mons siccus in circuitu. Hoc videns Sanctus Brendanus accepit situlam et plenus fide imperavit terrae ut produceret aquam. Et illico fons lucidus e terra surrexit et potavit Sanctus Episcopus gratias agens Deo. Et fons ille usque hodie lucide stillat, et dicitur fons Brendani.

CAPUT VIII.

THROUGH THE PRAYERS OF ST. ITA AND THE EXHORTATION OF ST. BRENDAN, ST. COLMAN EMBRACES A LIFE OF PERFECTION.

DIXIT aliquando Sanctus Brendanus Sancto suo magistro Episcopo Ercho : si placet tibi pater, volo ire et videre vitam quorumdam sanctorum patrum Hyberniae. Cui Sanctus Episcopus ait : ex Deo est hoc consilium fili mi : vade et revertere ad me post tempus ut gradum de manibus meis sacerdotalem accipias antequam moriar. Postea accepta licentia et benedictione Sancti Erci Episcopi beatus Brendanus perrexit ad Sanctam Ytam nutricem suam. Quae dixit ei : vade fili mi karissime et regulas perfectorum patrum Hyberniae disce et cave ne frequenter visites virgines ne blasfemeris. Et ait ei sancta : occurret tibi in via citius quidam laicus filius Lenin[8] et praedica ei verbum divinum quod filius vitae est. Vidensque eum Sanctus Brendanus ait ei ; age care frater poenitentiam de peccatis tuis, quod te vocat Deus ad regnum suum. Jam eris columba Dei et clara columpna in templo ejus : et do tibi nomen Colmanum. Et ille homo vere sanctissimus et mirabilis effectus est ; et postea cellas et monasteria Deo edificavit.

[8] St. Colman Mac Lenin is patron of the See of Cloyne. His death is marked in the Annals of the Four Masters in the year 600, which corresponds with 601 of our modern computation. See a sketch of his life in Archdall's MONASTICON, *new edition*, p. 105.

CAPUT IX.

ST. BRENDAN VISITS ST. JARLATHE OF TUAM.

POST vero Sanctus Brendanus audiens famam sanctitatis Sancti Jarlathe[9] Episcopi exivit ad eum et mansit apud eum aliquo tempore. Et cum esset quodum die sanctus senex Jarlathe Episcopus infirmus, dixit ei Sanctus Brendanus : resurrectio tua pater non erit hic. Cui Sanctus Episcopus ait : Ubi ergo resurrectio mea erit ? Ait ei Sanctus Brendanus : sede in plaustro quod senex et infirmus es et vade in viam illam et ubicumque rotae plaustri fractae fuerint ibi et resurrectio multorum tecum erit in die judicii. Tunc Sanctus Jarlathe ait : O Brendane juvenis, quare archana Domini in te abscondis ? Scio enim quod divina Providentia in te latet : vere magister noster debes esse. Ascendensque in plaustro Sanctus Episcopus perrexit in viam suam. Et non longe inde fractae sunt rotae plaustri mirabili eventu. Et stetit ibi Episcopus Sanctus Jarlathe osque (sic) ad obitum suum. Et sui cum suis post eum venerunt. In ipso jam loco in honore Sanctissimi senis Jarlathi Episcopi clara civitas edificata est quae dicitur *Tuaym-dagualann* in provinchia Connachtorum. Sanctus autem Brendanus cum oratione et benedictione Sancti pontificis Jarlathi discessit ad alium locum.

[9] St. Jarlaith, first Bishop and Patron of Tuam (formerly called *Tuaim-daghualann*), belongs to the second order of Irish Saints. He was disciple of St. Benignus, and died according to Colgan and Lynch, about the year 540. The Calendars assign the 11th of February, or the 26th of December, as his feast. However, from time immemorial his festival has been kept in Tuam, on the 9th of June, which day was probably the anniversary of the translation of his Relics from Scrin, where they were at first deposited, to the Cathedral Church.

CAPUT X.

ST. BRENDAN WRITES HIS RELIGIOUS RULE.

QUUM esset Sanctus Brendanus in campo An[10] apparuit ei Angelus Domini dicens ad eum : Scribe a me regulam et vive sicut ipsa indicabit tibi. Et scripsit ibi Sanctus Brendanus regulam ab Angelo ; secundum quam ordinavit vitam suam et illa usque hodie manet apud successores Sancti Brendani.

CAPUT XI.

ST. BRENDAN RESTORES A DEAD YOUTH TO LIFE :—IS ORDAINED PRIEST BY ST. ERC :—FOUNDS MONASTERIES IN HIS NATIVE DISTRICT.

IN ipso campo aliquando Sanctus Brendanus juvenem mortuum vechi ad sepulcrum et parentes sorores et amicos ejus tristes circa eum vidit. Quibus ait nolite flere boni homines sed confidite in Deo: mortuus enim vester Christi potentia vivet. Et accedens ad feretrum intentus orationi ad Xtum, jussit gelido ut surgeret. Illico jam juvenis surrexit ad suos validus et oculi omnium intendebantur in Sancto Brendano admirantes gratiam Dei in eo. Duxeruntque eum secum ad regem Connactorum narrantes ei quod factum fuerat : et dixit Sancto Brendano ; Serve Dei vivi, vis in terra nostra habitare ? et elige locum ad monasterium edificandum et offeram eum tibi. Sanctus autem Brendanus dixit regi quod non auderet

[10] This is the Latin form of the Irish name *Magh-Enna*, now Moyhenna, a castle in ruins, near Turlough, in the barony of Carra, county Mayo. It is marked in O'Donovan's map of Hy-Fiachrach, *Publications of Ir. Ar. Society*, 1844.

fundare mansionem in aliquo loco sine licentia sui magistri Sancti Erci Episcopi. Benedicensque regi et populo Sanctissimus Brendanus reversus est ad Sanctum Ercum Episcopum. Non post multum deinde tempus fecit eum Sanctus senex Episcopus Ercus sacerdotem: accepitque Sanctus Brendanus cum esset sacerdos habitum monasticum sanctum. Et multi relinquentes saeculum hinc inde venerunt ad eum et fecit eos Sanctus Brendanus monachos. Deinde cellas et monasteria fundavit in sua propria regione, sed tunc adhuc non plura: quod cum venit de navigio suo quaerendo terram repromissionis sanctorum tunc parrochia ejus per diversas regiones Hyberniae dilatata est.[11]

CAPUT XII.

THREE THOUSAND RELIGIOUS SERVE GOD UNDER THE RULE OF ST. BRENDAN:—HE VISITS ST. ITA, AND FOUNDS THE MONASTERIES OF INISHDADROMM AND CLONFERT.

POSTEA multi plura munera Sancto Brendano in Xti nomine obtulerunt et alii relinquentes hujus res saeculi fecit eos vir Dei monachos et multa monasteria et cellas per diversas regiones Hyberniae fundavit in quibus tria millia monachorum ut perhibetur a senioribus sub eo erant. Et patrem suum fecit monachum et matrem suam viduam sacratam. Interea Sanctus Brendanus ad Sanctam Ytam nutricem suam perrexit quem virgo Dei sancta pietate pectori suo complexit, cujus mentem vir sanctus de miraculis quae vidit in oceano refecit. Salutantesque se invicem benedictionibus Dei, sanctus inde recesssit. Venitque ad locum qui dicitur

The Tract *De navigio Sanctissimi Patris Brendani* is here inserted, but imperfect: it gives, however, some valuable readings, which will be noticed hereafter.

insula detrumma[12] quae est in septentrionali parte pelagi *Luymuidh* vallata freto, inter duas regiones, id est Corcubayscynn et Ciarraigy posita. Illicque clarum monasterium fundavit et in spacio brevis temporis septem sancti de monachis ejus obierunt in pace et leviciana illius loci circa sanctas reliquias eorum fabricata est. Et per diversas regiones illo tempore Sanctus Brendanus quinquaginta flumina piscibus carentia benedixit et ab illo die per benedictionem viri Dei habundant piscibus. Interea Sanctus Brendanus perveniens in provinchiam Connachtorum oblatus est ei unus ager in quo vir Dei claram civitatem fundavit quae dicitur *Cluain-ferta*[13] in qua ipse sepultus est.

CAPUT XIII.

ST. BRENDAN MIRACULOUSLY FREES THE TOWN OF BRI-UYS, IN MUNSTER, FROM A PLAGUE OF INSECTS.

ALIQUANDO Sanctus Brendanus ambulans in planicie mumeniae venit ad castrum *Bri-uys* in regione Cliath contra[14] montem porci situm et ibi illa nocte mansit. Habitatoresque illius loci querimoniam fecerunt ad Sanctum Brendanum de pulicibus quae ibi habundabant incredibiliter. Tunc Sanctus

[12] This island is situated in that expansion of the Shannon which receives the River Fergus. Its Irish name was *Inis-da-Dromand*, *i.e.*, "The Island of the two hills." It is now known as Inishdadroum.—See *Todd*, "Wars of the Danes," p. cxxx. and 103.

[13] This town, situated in the most westerly part of Galway, near the Shannon, is generally called in our Annals *Clonfert of Brendan*, to distinguish it from other places of the same name. It soon became an important Episcopal See.

[14] The district of Cliath or Cliach, often called in our Annals *Ara-cliach*, situated in the present county of Limerick, was rendered illustrious by the birth of St. Ailbhe and St. Fintan. Ailinne, the mother of St. Fintan, was a native of Grene-Cliath, which was also a district of the county Limerick.

Brendanus orans ait, Domine Deus omnipotens libera habitatores hujus castri qui nos in tuo nomine benigne susceperant de pulicibus sibi nocentibus. Et ad hanc vocem pulices ibi ceperunt minui: crastina autem die nullus pulix illic vixit, et ab illo die usque hodie pulices nullo modo in ipso castro vivunt.

CAPUT XIV.

ONE OF ST. BRENDAN'S RELIGIOUS, THROUGH OBEDIENCE, EXPOSES HIMSELF TO DEATH.

QUODAM die navigavit Sanctus Brendanus ad praedictam insulam *De-trumma* et reliquit in litore unum juvenem custodire navim. Inundatione maris facta, germanus illius fratris dixit Sancto Brendano: O sancte pater; mare fortiter inundat et subtrahit navim et fratrem meum merget et erit exanimis. Cui Sanctus Brendanus ira motus ait: amas illum amplius quam ego? Si ergo vis ei plus misereri vade ad illum et pro illo morere. Ille jam frater obediens abiit citius ad illum locum et mare ilico vallavit eum undique et mersus est: priori vero juveni, germano illius, erat quasi murus sicut et Moysi.

CAPUT XV.

ST. BRENDAN, BY THE COUNSEL OF ST. ITA, SETS OUT ON A PENITENTIAL PILGRIMAGE TO BRITAIN:—HIS VISIT TO THE MONASTERY OF ST. GILDAS.

DEINDE Sanctus Brendanus de morte ipsius fratris timuit Dominum, putans seipsum illius interfectorem, et interrogavit

viros sanctos inde verbum promere. Qui dixerunt ei: vade ad Sanctam Dei prophetissam Ytam nutricem tuam et ipsa dicet tibi quid te oportebit facere. Dixitque ei Sancta Yta: fac aliquo tempore peregrinacionem quod habens in morte illius culpam et praedica hominibus ut ducas alias animas Deo. Postea navigavit Sanctus Brendanus in peregrinacione ad Brittaniam adivitque Sanctissimum senem Gilldam[15] virum sapientissimum in Brittania habitantem cujus fama sanctitatis magna erat. Et antequam Sanctus Brendanus illuc pervenit, Sanctus Gilldas discipulis suis dixit, praeparate cenam quod sancti hospites et laboriosi viri ad nos hodie venient: et videbitis similem Petri Apostoli in carne renovatum, qui est pater laboriosus quem ego in aliquibus temptabo ut sciat ipse culpam, propter quam huc venit, sibi a Deo remissam. Et ait janitori sui monasterii: seris ferreis ostium claude, donec Deus per merita sua illud aperiat. Tunc yems[16] erat et post tres annos in illa peregrinacione Sanctus Brendanus ad illum locum pervenit. Nix tunc pluit cooperiens terram sed nichil supra Sanctum Brendanum vel discipulos suos ante ostium clausum manentes fluxit. Hoc videns hostiarius de intus dixit eis: venite et merita vestra aperiant vobis. Tunc Sanctus Brendanus vocato discipulo suo Talmach[17] dixit: vade et in Xti nomine aperi nobis ostium. Illico ille extendens manum recesserunt intus serae et ultra non apparuerunt; et ad templum venientes simili modo clausum erat ante eos. Sciensque Sanctus Brendanus quod temptacio erat ei, possuit manum suam duabus valvis et ait: Vera mater, Ecclesia Xti, aperi mihi. Et statim sigillis fractis aperta est ecclesia et intraverunt chorum. Et habebat Sanctus Gylldas missalem

[15] St. Gildas belongs to the second order of the Saints of Ireland. He visited Ireland at the request of the Monarch Ainmire, in the year 569, and died in 570. The Annals of Ulster, among the entries for that year, have "Gildas died:" Ann. of Inisfail, "Quies Gilldais Episcopi:" Ann. of Tigernach, "Gillas quievit."

[16] *i.e.*, hiems.

[17] A short notice of this disciple of St. Brendan is given by Colgan, on 26th February, *Acta*, page 414. Marianus O'Gorman styles St. Talmach "an humble and devoted virgin saint."

librum scriptum Graecis litteris[18] et possitus est ille liber super altare. Et custos templi ex jussione Sancti Gilldae dixit Sancto Brendano: vir Dei, praecipit tibi sanctus senex noster ut offeras corpus Xti: ecce altare hic (et) librum graecis litteris scriptum et canta in eo sicut abbas noster. Aperiensque Sanctus Brendanus librum ait: demonstra michi Domine Jhesu istas litteras ignotas, sicut aperuisti ostia clausa ante nos. Profecto possibilia sunt omnia credenti. Ilico jam litteras grecas scivit Sanctus Brendanus sicuti latinas[19] quas didicit ab infancia. Et cepit missam cantare. Venitque ipse sanctissimus senex Gylldas cum suis fratribus accipere Eucharistiam de manu Sancti Brendani. Viditque sanctus Gilldas carnem crudam in disco et sanguinem in calice et ait: Quid mihi praebui judicium Dei temptando te O homo Dei. Cui ait Sanctus Brendanus: nostra oracio proteget te a vindicta. Tempus jam modo dimittendi est quia satis probasti Xti peregrinos. Iterum orante Sancto Brendano corpus Dominicum in specie consuetudinaria in disco apparuit et sanguis in calice in vinum. Et postea illi sancti communionem dominicam cum gratiarum actione sumpserunt. Sanctusque Brendanus illic mansit tribus diebus et tribus noctibus.

[18] This probably refers to a Latin missal written in whole or in part in Greek letters. Some such MSS. of our early church have happily been preserved to our own times. The *Book of Armagh*, for instance, in the Gospel of St. Matthew, gives the Latin text of the Lord's Prayer, written in Greek letters. See the *Atlantis*, No. IX., 1870, page 80 and 82.

[19] The Latin language being used in the Sacred Scriptures and Liturgy, became very generally diffused throughout all Ireland. Venerable Bede, in the 1st chapter of his Ecc. History, says that through the study of the Sacred Scriptures, the Latin had become "a common language for the Angles, Britons, Picts, and Irish."

CAPUT XVI.

MIRACLES PERFORMED BY ST. BRENDAN AT THE MONASTERY OF ST. GILDAS.

Et post tres dies ait Sanctus Senex Gilldas ad Sanctum Brendanum: bestiae fortissimae sunt in deserto prope nos quae valde invadunt plebem istam et frequenter obsident istam urbem, et tibi Deus concedit ut expellas eas ob hominibus, ut per hoc signum quod apud nos per Deum facis, scias culpam propter quam huc venisti tibi a Deo remissam. Tunc Sanctus Brendanus perrexit ad heremum et discipulus suus supradictus Talmach cum eo, multique homines in equis de longe volentes scire finem rei, post illos aspiciebant eos. Pervenientesque ubi erant bestiae invenerunt matrem cum catulis in meridie dormientem. Quam Beatus Talmach excitavit. Quae surgens fortiter rugivit et ad rugitum ejus caeterae bestiae convenerunt. Quibus dixit Sanctus Brendanus: sequimini nos cum catulis vestris mitissime. Omnibus expectantibus mortem illorum viderunt eos et bestias sequentes se quasi canes domestici. Et equites timentes velociter fugiendo equitarunt. Vidensque ipse Sanctus Gilldas ita eas ante fores civitatis gratias egit Deo in mirabilibus suis. Tunc Sanctus Brendanus jussit bestiis ut redirent ad heremum et nulli in illa terra nocerent. Et homines nesciunt quid illis accidit, sed usque hodie non apparuerunt. Tunc ait Sanctus Senex Gilldas viro Dei Brendano: accipe me pater in discipulum tuum et esto hic patronus hujus urbis et plebis. Cui ait pater Brendanus: hic non expectabo quia resurrectio mihi in Hybernia erit. Et benedicentibus se invicem Sanctus Brendanus et Sanctus Gilldas cum suis fratribus civitatisque illius habitatoribus recessit inde. Et in alia regione in Brittania monasterium nomine *Ailech*[20] sanctissimus

[20] Ailech, as Dr. Lanigan remarks, is evidently the ancient Alectum, in Brittany, of which St. Maclovius, a disciple of St. Brendan, was Bishop. It continued to give name to the Diocese till the See was fixed in the present town of St. Malo.—*Eccles. Hist.*, II, 34.

Brendanus fundavit. Atque in loco alio in Brittania in regione *Heth* ecclesiam et villam circa eam assignavit et ibi magnas virtutes beatus Pater Brendanus fecit: et postea navigavit ad Hyberniam.

CAPUT XVII.

ST. BRENDAN COMMENDS THE PATRONAGE OF ST. BRIGID, WHOSE SOUL WAS AT ALL TIMES ABSORBED IN GOD.

QUADAM die cum esset Sanctus Senior supra mare vidit duas belluas aliquando bellantes, aliquando veloci cursu natantes, sed una bello mirabili persequebatur alteram. Et bellua quae erat fugitiva cum esset pene capta et superata e regione Sancto Brendano humana voce dixit: Commendo me in defensionem Sancti Patricii Archiepiscopi Scottorum. Altera similiter humana voce dixit: defensio ejus in nullo te juvabit modo. Fugitiva dixit ei: commendo me in defensionem Sancti Brendani praesentis modo. Persecutrix dixit: Vere defensio Brendani nihil tibi proderit. Iterum fugitiva dixit commendo me in defensionem Sanctissimae virginis Brigidae. Tunc persecutrix illico reversa est dicens amplius non audeo te persequi, quod te commendasti in defensionem Sanctae Brigidae. Postea illa misera evasit incolumis. Sanctus autem Brendanus laudem Sanctae Brigidae fecit dans gloriam Deo et perveniens ad Hyberniam exivit ad Sanctam Brigidam[21] narransque ei de supradictis belluis interrogavit illam et dixit. Quare timent te virgo Dei belluae marinae plus quam alios sanctos? Virgo Dei respondit illi: Quomodo est frequentia tuae intencionis ad

[21] The death of this great patroness of the Irish is placed by the Annals of Ulster in A.D. 523. "The rest of Brigid, in the 70th year of her age." They subsequently, however, mention the years 525 and 527 as assigned for her death by other authorities. Some ancient writers record that she survived St. Patrick thirty years. As he died in A.D. 493, this would place her repose in A.D. 523.

Deum? ait Sanctus Brendanus: in septimo gressu meo quin minus sit cogito Deum; aliquando vero longo intervallo non aliud cogito nisi Deum. Dixit ei Sancta Brigida: ergo aliquando terrena cogitas, aliquando Deum: Ego autem vere a quo die posui in Deum mentem meam numquam reflexi eam iterum: quanto jam homo intendit ad Deum et amat eum, tanto timent hominem animalia. Et edifficatus Sanctus Brendanus in hac sententia beatissimae virginis Brigidae, benedictioneque data invicem ivit in viam suam.

CAPUT XVIII.

ST. BRENDAN ERECTS A CELL IN INIS-MEIC-ICHUIND.—THE KING OF CONNAUGHT MAKES A GIFT OF THE ISLAND TO ST. BRENDAN.

ET venit Sanctus Brendanus ad regionem Connactorum et intravit in quadam insula quae dicitur Scottice *Hynis-meic-ichuind* [22] in qua erant equi regis connachtorum in pascuis. Et edificans Sanctus Brendanus ibi cellam redigebat equos regis sub oneribus. Sanctusque Episcopus Moenu[23] cum Sancto Brendano erat illuc. Hoc audiens rex Edus[24] filius Eathach

[22] This is the present Island of Inisquin, in Lough Corrib, which, in the seventh century, was still famous for its monastery. St. Meldan presided over it at that time.

[23] The Annals of Ulster, and the *Chronicon Scotorum*, place his death in A.D. 572. "Moena, Bishop of Cluainfearta-Brenainn rested." This holy Bishop is called Maoineann by the Four Masters, and the Martyrology of Donegal at his festival, March the 1st. In the Calendar of Cashel he is called "Moennius or Mainennius, Bishop of Cluainferta, and comharb of Brendan."

[24] Aedh, "son of Eachach Tirmcarna, King of Connaught," is mentioned in the Annals of Ulster, &c., at A.D. 560 (*i.e.*, 561), as one of the allied princes who were victors in the battle of Culdreimhne. The *Chronicon Scotorum*, at A.D. 560, adds, that "the murder of Cornan, son of Aedh-mac-Eochaidh, King of Connaught, was the occasion of that battle."

iratus dixit: vere interficiam illum qui facit mihi illam injuriam. Et venit furibundus ad insulam: sed volens transnavigare turbo veniens repente turbavit stagnum a profundo tribus diebus et expectavit rex serenitatem. Tertia autem nocte apparuit ei Dominus in sompnis dicens: cave ne aliquid mali servo meo Brendano facias: alioquin morieris citius. Et facta serenitate optulit rex insulam cum equis suis Sancto Brendano in aeternum.

CAPUT XIX.

ST. BRENDAN RESTORES TO LIFE ONE OF THE RELIGIOUS OF INISDADROMM.

In illo tempore misit Sanctus Brendanus quinque monachos ad praedictam insulam detrumma ut manerent in ea. Seminante quadam die diabolo discordiam inter illos alius percussit seniorem alium in capite secrete. Illo moriente missi sunt quidam fratres ad Sanctum Brendanum velocius et narraverunt ei. Ait eis Sanctus pater: revertentes dicite percusso fratri: evigila frater, vocat te Abbas tuus Brendanus. Illis ita dicentibus jacenti, illico surrexit ipse de lecto et exivit ad Sanctum Brendanum portans ferrum in capite suo. Videns eum S. Brendanus dixit ei: Care frater, vis adhuc in hac vita esse, an nunc ad coelum ire? Laetus elegit frater migrare ad Xtum: et statim ille in pace obiit: et sepultus est in illa insula quae dicitur *Ynis meic Ichuind* et sepulchrum ejus Scottice dicitur *lebayd in tollcynd*, id est, lectus perforati capitis, qui locus honorifice habetur.

CAPUT XX.

ST. BRENDAN RESTORES TO LIBERTY A MAN SORELY DISTRESSED IN CAPTIVITY.

QUADAM die recessit Sanctus Brendanus ab illa insula in campum propinquum et occurrit ei miser homo qui flens prostravit se ad pedes viri Dei dicens: Miserere mei Domine Sancte Pater, quod gravissime a Domino meo rege redigor in servitute. Sciens Sanctus Brendanus miseriam illius fodit ibi baculo terram et elevavit inde massam auri et dedit illi homini dicens: nemini dixeris sed tantum tribue regi et liberabit te cum posteris tuis. Sed tamen ille indicavit regi quomodo rem invenit. Et audiens rex mirum opus dixit: Hoc aurum Xti donum est et non est meum illud habere sed servorum ejus, et liberabo te o homo gratis cum semine tuo, perge quo vis. Postea ille homo reversus est ad Sanctum Brendanum cum auro suo gratias Deo agens liber.

CAPUT XXI.

ST. BRENDAN, IN HIS SEVENTY-SEVENTH YEAR, FOUNDS THE MONASTERY OF CLONFERT—ONE OF ITS RELIGIOUS IS RESTORED TO LIFE.

SEPTUAGINTA septem annorum erat Sanctus Brendanus quando fundavit supradictam suam civitatem *Cluayn-ferta*[25] cumque ibi demoratus esset Sanctus Brendanus mortuus est

[25] The date thus assigned for the foundation of Clonfert would be A.D. 560, for St. Brendan was born in A.D. 583. The Annals of Innisfallen place this foundation on the very day of the battle of Culdreimhne, which would be in 561: "Diarmait vero fugit, et in eo die Cluainferta-Brenainn fundata est, angelo imperante." The Annals of Ulster, at A.D. 557 (*i.e.*, 558), have "Brendan founded a church in Cluainferta:" but again, at A.D. 563, they add, "or in this year Brendan founded the Church of Cluainferta."

illic quidam monachus qui a parentibus suis de Brittania cum Sancto Brendano venit, et in tertio die post obitum ejus Sanctus senex Brendanus ait Sancto Episcopo *Moeneiu:* pone baculum meum super corpus fratris defuncti. Et ponens Episcopus baculum viri Dei super corpus triduo gelidum, illico post tres dies a morte surrexit, receptaque incolumitate missus est ipse frater firmus in fide in provinciam suam in Brittaniam.

CAPUT XXII.

ST. ITA, ON CHRISTMAS NIGHT, RECEIVES THE HOLY COMMUNION FROM ST. BRENDAN.

BEATISSIMA supradicta virgo Yta nutrix Sancti Brendani in nocte Nativitatis Domini dixit in corde suo: utinam corpus Xti sumerem in hac sacra nocte de manu alumpni mei Sanctissimi Brendani. Et surgens fidelissima virgo illa nocte ad vigilias celebrandas in suo monasterio elevata est ab angelo secundum similitudinem Sancti Abacuch usque ad civitatem Sancti Brendani *Cluain-ferta.* Et praevidens spiritualiter Sanctus Brendanus adventum Sanctae Ytae exivit in obviam ejus de sua Ecclesia cum communione Dominica foras in atrio. Dimissaque Sancta Dei in terram sumpsit corpus Domini de manu Sancti Brendani gratias Xto agens. Et benedicentes se invicem Sancti iterum elevata est virgo Dei ab Angelo ad monasterium suum. Iter trium dierum inter monasterium Sanctae Ytae *Cluayn-Credal* in regione Muminensium et civitatem Sancti Brendani *Cluain-ferta* provinchia Connactorum constat per quod Sancta Dei ab Angelo in una hora ducta est et reducta.

CAPUT XXIII.

MIRACLE OF THE HOLY VIRGIN ST. CHIAR.

IN regione *Muscray-tire*[26] in provinchia Mumuniae ignis exorsus est e terra fetorem habens pessimum. Ceperuntque homines ignem extinguere aquis sed nullo modo potuerunt. Videnque Sanctus Brendanus veniendo illuc terram ardere ascendentibus alte flammis, ait hominibus: O miseri homines ignem infernalem videtis e terra. Rogantibus eum hominibus ait eis: trium dierum jejunium agite et rogabo Deum pro omnibus. Et post jejunium ait illis: ite ad Sanctam Dei virginem *Chiar*,[27] sibi enim dedit Deus hanc virtutem ut extinguat illum ignem per orationem suam. Et orans Sanctissima Virgo *Chiar* ad Deum contra illum ignem illico ignis extinctus est radicitus et nunquam ibi iterum apparuit.

CAPUT XXIV.

ST. BRENDAN VISITS THE SAINTS OF MEATH.

VENIT aliquando Sanctus Brendanus vissitare Sanctos in regione *Midhi* manentes. Tunc *Diarmoyt filius Cearbuyll*[28] rex Hyberniae qui regnabat in urbe *Themoria* in regione *Midhi* sompnium vidit id est duos angelos torquem regiam[29] de

[26] *Muscraighe* took its name from the descendants of Cairbre Musc, king of Ireland in the third century. The territory is represented by the present baronies of East and West Muskerry, county of Cork, and by those of Clanwilliam and Upper and Lower Ormond, county of Tipperary.—See O'Donovan, *Book of Rights*, page 42.

[27] The death of St. Chiar, daughter of Dubhrea, is entered in the *Chronicon Scotorum*, in the year 677.

[28] Dermod Mac Cerbhail, according to the Annals of Ulster, began to reign in the year 544. He was assassinated in 564, by Aedh Dubh, who was King of Dalaradia.

[29] The Brehon Laws assign the brooch of gold as one of the distinctive emblems of royalty in Ireland: "brooches of gold, having crystal inserted in them, with the sons of the king of Erin, and of the king of a province; and brooches of silver with the sons of a king of a territory," &c.—*Seanchus Mor*, vol. ii., published in 1869, page 148.

collo ejus tollentes et dantes homini sibi ignoto. Crastino jam die pervenit Sanctus Brendanus ad regem illum. Cumque vidisset eum rex, dixit amicis suis: hic est vir ille cui vidi torquem meam dari. Tunc sapientes dixerunt regi; Regnum Hyberniae usque nunc erat regibus, amodo dividetur inter Sanctos Hyberniae regnum tuum O Rex! Et hic Sanctus magnam parochiam per Hyberniam habebit. Hoc sompnium et interpretationem ejus audiens Sanctus Brendanus ait ad omnes; ita erit quod Deum colentibus hic et in futuro bona dabuntur ut est illud: Quaerite primum regnum Dei et alia bona addentur vobis. Et rex Diarmoyt honorem dedit Sancto Brendano: justi tenax enim et Catholicus erat ipse rex.

CAPUT XXV.

ST. BRENDAN EXPLAINS TO HIS RELIGIOUS HOW INTOLERABLE ARE THE PAINS OF HELL.

QUADAM die ambulans Sanctus Brendanus pluit nix magna et grando et ventus acer super eos in via: et dixerunt quidam de fratribus ad Sanctum Brendanum: Pater, frigus inferni non est majus hoc frigore. Quibus ait: quasi homines rustici fratres loquimini. Nos vidimus Judam Domini proditorem in pelago horribili in Dominico die flentem et plangentem supra petram asperam et lubricam qui nunc mergebatur fluctibus et nunc altior mari modice extra. Unus fluctus igneus ab oriente et alius glaceali frigore ab occidente supra petram veniebat et intingebat terribiliter Judam et haec pena maxima sibi requies videbatur. In dominicis enim diebus pro requie sibi clementia Dei talis locus datur. Quid est igitur esse in inferno. Haec dicta fratres audientes omnipotentem Deum pro miseriis suis rogaverunt.

CAPUT XXVI.

ST. BRENDAN EXHORTS HIS RELIGIOUS TO CONFIDE IN THE PROVIDENCE OF GOD.

ALIO die cum Sanctus Brendanus per silvas ambulasset maximus ventus erat ipso die. Et fortissime flante vento arbores cadebant hinc et inde circa eos in via multum. Dixitque unus de fratribus ad omnes: nos sumus in magno periculo inter ligna. Tunc Sanctus Brendanus ait: quadam nocte dormientibus fratribus meis in sua navi supra mare in oceano ego solus vigilabam: et perveniens ad quamdam insulam in se multas noces habentem. Quatuor pedes extensi in altum sustinebant illam insulam super se; et inter quos pedes navis nostra sub insula exivit. Et sic supra nos insula stante transnavigavimus. Scitote fratres, quod Deus qui insulam illam supra quatuor pedes continet et qui nos navigare fecit sub ea, sine dampno potest nos liberare de periculo istarum arborum Hoc exemplum audientes fratres, firmati sunt in Xto.

CAPUT XXVII.

ST. BRENDAN SAVES THE PROVINCE OF CONNAUGHT FROM AN INVASION.

QUODAM tempore rex Mumynensium cum magno exercitu venit in provinchiam Connachtorum ut devastaret regionem eorum. Et sanctus senex Brendanus rogatus a Connachiis exivit ad Muminienses et quaesivit pacem ab eis. Sed superbi Muminienses nec pacem nec ullas inducias Sancto Dei dederunt. Cumque surrexissent Muminienses ut devastarent regionem tota die in uno loco in vertiginem per circuitum

rotabantur. Sentientes miraculum in se factum timuerunt et decreverunt redire in terram suam. Et sic Dei potentiae vacui reversi sunt: quis enim potest resistere nutui Dei. Rediensque Sanctissimus senex Brendanus ab eis, oblatus est ei in via puer mutus ab utero matris suae. Et benedicens vir Dei linguam ejus illico clare locutus est. Et qui videbant gloriam Deo dederunt.

CAPUT XXVIII.

ST. BRENDAN VISITS HIS SISTER ST. BRYGA, AND MAKES ARRANGEMENTS FOR HIS INTERMENT IN CLONFERT.

SANCTISSIMUS senex Brendanus visitavit sororem suam Sanctam virginem nomine Bryg quae sub cura Sancti Brendani monasterium quod dicitur *Enach-duim* qubernabat, qui locus est in provinchia Connachtorum in pleba Huabruin. Cumque ibi esset Sanctus senex Brendanus dominico die postquam ipse obtulit corpus et sanguinem Xti dixit sorori suae et fratribus suis: hodie Karissimi vocat me Dominus Deus meus in vitam aeternam: et in Xti. nomine adjuro vos ut si vultis benedictionem meam habere faciatis quod dicam vobis. Celate mortem meam donec corpus meum ad civitatem meam de *Cluayn-ferta* perveniet. Illic enim elegi resurrectionem meam. Si jam audierint istae plebes mortem meam statim invite hic me sepelient. Sic igitur facite: ponite corpus meum in plaustro et abscondite aliis rebus bene et mittite tantum unum fratrem cum eo; et ipse dicat omnibus se interrogantibus quid habet, quod res Sancti Brendani ad civitatem suam *Cluain-ferta* perducit. Omnesque dimittent sine contradictione eum nisi unus. Occurret jam ei in via quidam miles luscus sinistro oculo nomine Currynn, et non credens ipse fratri, astucior caeteris dicet fratri verbo aspero:

Dic mihi quid portas occulte in curru, et accedet ipse ad plaustrum scrutans illud et inveniens et videns me dicet fratri verbo horribili : relinque hic apud nos sanctum Dei. Et dicet ad me : in finibus nostris sepelieris gloriose ut sit resurrectio tua inter nos, O sancte Dei. Tunc frater aspiciat in fossam sibi propinquam et videbit ibi massam auri pulchri et tollat ad eum dicens : accipe homo aurum a Deo datum et relinque nos libere. Et ille dicet ei : utique non faciam. Et dicat illi frater : potestatem tuae gentis tu tenebis et semen tuum post te, et dimitte nos. Et ille non credens verum fore negabit se ita facturum. Et dicat illi frater : vitam aeternam non possidebis nisi dimiseris sanctum Dei ad locum in quo ipse jussit se sepeliri : Et dicam tibi certum signum O homo : cogitasti in corde tuo modo veniens ad me tenere principatum interficiens tuos. Tunc ille cogitationem cordis sui audiens ab alio et sciens ventura esse quae promissa sunt ei dimittat fratrem cum corpusculo meo ire in pace. Et benedicat illum frater deligenter, et postea ibit ille in viam suam gaudens. Talem adjurationem et prophetiam audiens soror et fratres promiserunt se facturos sicut sanctus pater praecepit.

CAPUT XXIX.

DEATH OF ST. BRENDAN IN HIS 94TH YEAR.

DEINDE beatissimus Sanctus Brendanus sanctae sorori suae et fratribus suis benedixit et surgens intravit domum et intus ascendit super limen : et dixit aspiciens in coelum : in manus tuas Domine commendo spiritum meum : redime me Domine

Deus meus. Et tunc ibi in Dominico die emissit sanctum spiritum Deo sanctissimus noster senex Brendanus, XVII. Kal. Junii, expletis aetatis suae 'annis nonagenta tribus. Et postea corpusculum ejus possitum est in plaustro et missus est unus minister cum eo, sicut dixit Sanctus Brendanus vivens et omnia contigerunt sibi in via, sicut praedixit Sanctus Brendanus in vita sua. Et collecta multitudine Sanctorum virorum undique, traditum est beatissimum corpusculum Sanctissimi Brendani humo in loco honorabili postquam ductum est per iter trium dierum sicut audistis a monasterio *Eanachduin* usque ad civitatem suam *Cluaynferta* cum gloria et honore cum psalmis et hympnis spiritualibus regnante Domino nostro Jesu Xto coelum et terram et omnes creaturas cum Patre et Spiritu Sancto in saecula saeculorum. Amen.

Explicit vita Sancti Brendani Abbatis et Confessoris.

ORATIO SANCTI BRENDANI.

[*Rubric in Sessorian MS.:* "Beatus Brendanus, monachus, quaerens insulam repromissionis per septem annos continuos orationem istam de verbo Dei per Michaelem Archangelum fecit quando transfretavit septem maria. Quicumque istam cantaverit sive dixerit pro se vel pro amico suo aut familiari vivo sive defuncto centies flexis genibus aut prostrato corpore remittuntur ei omnia peccata et de poenis inferni salvus erit."]

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Per sanctam Annunciationem tuam, Domine Jesu Christe fili Dei vivi parce michi peccatori:

Per sanctam Conceptionem tuam, Domine Jesu Christe fili Dei vivi parce michi:

Per sanctam Nativitatem tuam, Domine Jesu Christe fili Dei vivi parce michi:

Per sanctam Circumcisionem tuam, Domine Jesu Christe fili Dei vivi parce michi:

Per sanctum Baptismum tuum, Domine Jesu Christe fili Dei vivi parce michi:

Per sanctam apparicionem tuam, Domine Jesu Christe fili Dei vivi parce michi:

Per sanctum jejunium tuum, Domine Jesu Christe fili Dei vivi parce michi :

Per sanctam passionem tuam, Domine Jesu Christe fili Dei vivi parce michi :

Per piissimam mortem tuam, Domine Jesu Christe fili Dei vivi parce michi :

Per sanctam Crucem tuam, Domine Jesu Christe fili Dei vivi parce michi :

Per sanctam Ascensionem *(sic)* tuam, Domine Jesu Christe fili Dei vivi, inferos liberantem captivos parce nobis :

Per sanctam Resurrectionem tuam, Domine Jesu Christe fili Dei vivi parce nobis :

Per sanctam Ascensionem tuam, Domine Jesu Christe fili Dei vivi parce michi :

Per adventum Spiritus Sancti Paracliti, Domine Jesu Christe fili Dei vivi parce nobis.

Effeta, quod est adaperire : in nomine Domini nostri Jesu Christi.

Deus meus omnipotens, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, una trinitas et una inestimabilis Deitas in tribus personis, qui es et qui eras et qui venturus es. Tibi supplico majestas alta inestimabilis ac sempiterna virtus ut me tuearis veritas trina ac defendas Trinitas una et ut indulgeas clementerque dimittas omnia peccata mea praeterita, praesentia et futura et imminentia quia Tibi soli possibilia sunt omnia sicut Te dicente facta sunt universa et mandante ex nichilo creata, hoc est, materia et angeli et sempiternae animae ; et sicut ex informi materia formasti in sex diebus formam rerum omniumque creaturarum in diversas species et proprias formas ita obsecro Te Domine ut eripias me a morte peccati et ab ista mortalitate et a morte immatura et a morte animae et ab omnibus vitiis animi et corporis ac progenie sua innumerabili atque ab omni diabolica illusione.

Libera me Domine qui prima die fecisti lucem et separasti eam a tenebris et diem a nocte, hoc est, angelos perfectos ab

imperfectis, sic me liberare digneris ab omni potestate Satanae, et diaboli artificio, et daemonum insidiis et temptationibus satellitum suorum.

Libera Domine qui secunda die firmasti firmamentum inter aquas superiores et inferiores : custodi me Domine ab omni malo a planta pedis usque ad verticem capitis, intus et deforis.

Libera me Domine qui tertia die fecisti speciem maris et terrae et aridam apparere fecisti in lignis et herbis, fructum ferentem, et semen in semetipso secundum genus suum.

Libera me Domine qui quarta die luminaria fecisti in firmamento coeli, solem et lunam et stellas in signa et tempora et in dies et in annos.

Libera me Domine qui quinta die fecisti reptilia animarum vivarum et aves volantes super terram et belulas marinas et omnia genera piscium et volucrum in animam mutabilem de aquis machinasti.

Libera me Domine qui sexto die omnia genera bestiarum, pecorum, quadrupedum in diversas naturas fecisti et hominem de limo terrae formasti inspirans in faciem ejus spiraculum vitae, masculum et feminam creasti eos et benedixisti eos, dicens, crescite et multiplicamini et replete terram et dominamini piscibus maris, volatilibus coeli et omnibus pecoribus.

Libera me Domine sicut septimo die benedixisti omne opus tuum et illud sanctificasti et ab omni opere homines requiescere fecisti : sic me digneris benedicere Trinitas sancta, divinitas trina eademque essentia elimon alma pietatis gratia protege tuum plasma immensa clementia tua et mea peccata dimittas.

Deprecor te alma pietas ut immensa clementia tua mea peccata dimittas.

Deprecor te alta Majestas et immensa per angelorum agmina hoc est per angelos tuos sanctos qui minora quaeque in commune creaturis, id est hominibus, nunciant et suadent.

Libera me Domine per Angelos tuos summos nuncios per quos majora hominibus nunciantur.

Libera me Domine per virtutes tuas sanctas per quas et mirabilia semper fiunt.

Libera me Domine per potestates sanctas quae malignis spiritibus imperant et dominantur ne plusquam permittantur saevitiam in humanis rebus exerceant, ita suum furorem non compleant in me.

Libera me Domine per Principatus qui bonis etiam spiritibus principantur ad explenda divina misteria.

Libera me Domine per Dominationes quae quinque supradictos gradus dominatione praecellunt per obedientiam subjectos.

Libera me Domine per thronos in quibus sedes et per quos judicia tua in creaturis terribiliter exerces.

Libera me Domine per Cherubim quae sunt scientiae plenitudo atque plus creaturis intellectualibus quae sub eis sunt sciunt quia dum speculum claritatis perspicacius intendunt abdita creaturarum narrant.

Libera me Domine per Seraphim ardentes sive incendentes qui plus omni creatura rationali Dei amore inardescunt et tanto omnes creaturas honore praecellunt ut inter se et Deum nulli alii spiritus intersint.

Libera me Domine per istos novem ordines sanctorum angelorum: peto a te Domine Deus miserator et misericors veniam atque indulgentiam omnium peccatorum meorum praeteritorum praesentium et futurorum imminentiumque quoniam tu scis figmentum nostrum quia caro et pulvis sumus; et hoc donum a te, Domine, peto, Sancto Petro patrocinante, et per sanguinem Abel justi primi sacerdotis et martyris ut ita suscipias vocem orationis meae in hostiam laudis tuae, sicut suscepisti sacrificium Abelis gratum et liberes ab omni malo, et sicut restituisti Seth in locum suum a quo stirps est filiorum Dei et sicut transtulisti Enoch ambulantem tecum.

Libera me Domine sicut liberasti Noe cum octava familia et cum omnibus animalibus in arca per diluvium.

Libera me Domine sicut liberasti universam terram cum omnibus fructibus ejus a diluvio.

Libera me Domine sicut liberasti et suscepisti panem et vinum in sacrificium Melchisedech sacerdotis. sic accipere digneris Domine vocem meam in hostiam laudis tuae. Magna posco a te Domine, me non merente, sed tua gratia largiente, et magna nosti dare michi peccatori: oro dimitte mea delicta quotidie.

Libera me Domine sicut liberasti Abraham[30] de Hur Chaldeorum et de omnibus temptationibus; et sicut fuisti cum eo per omnia, ita precor ut sis michi in aeternum adjutorium non deciduum.

Libera me Domine sicut liberasti Loth de Sodomis et hostibus.

Libera me Domine sicut liberasti Isaac de morte dans arietem pro eo et sicut liberasti eum de aliis temptationibus.

Libera me Domine sicut liberasti Jacob de ira fratris sui Esau et Laban et fuisti cum eo.

Libera me Domine sicut liberasti Joseph de invidia fratrum et de libidine mulieris et de servitute et morte et sicut liberasti Israel per eum de fame.

Libera me Domine sicut liberasti Job de temptationibus Satanae et inimicorum ejus et sicut liberasti eum a lepra et restituisti ei omnem substantiam secundam progenie vitae: deprecor sic me restituere digneris salutiferae sanitati et perpetuae.

Libera me Domine sicut liberasti Moysen et Aaron de potestate Ægyptiorum et liberasti illos a servitute et de decem plagis et de mari rubro et de siti et de fame et proeliis et sicut necasti rebelles et servasti obedientes et dedisti mandata populo. Interpello ut dones michi donum sciendi et intelligendi et servandi testimonia tua.

Libera me Domine, sicut liberasti Moysen et Aaron de malignitate Israel et sicut liberasti Jesum filium Nun et

[30] The MS. reads *Haabram.*

Israehel per orationem de bello Amalec et Seon et Og et viginti novem regum unius Cananaeorum generis.

Libera me Domine sicut liberasti Finees et Israel de bello interficiente Balaam et Balach.

Libera me Domine sicut liberasti Caleph de infidelitate exploratorum.

Libera me Domine sicut liberasti Israel et archam Testamenti per Jordanem.

Libera me Domine sicut liberasti Raab de Jericho et liberasti Jesum et Israel cum stetisset sol a Gabaon et luna super vallem Achiron.

Libera me Domine sicut liberasti Sangar de sexcentis viris ab eo occisis.

Libera me Domine sicut liberasti Israel per consilium Delborae.

Libera me Domine sicut liberasti Gedeon cum trecentis viris de bello Madian.

Libera me Domine sicut liberasti Jephte Galadiciden et Israel de gentium potestate.

Libera me Domine sicut liberasti Sampsonem nichil in manu habentem de ira leonis, et interficientem, et sicut liberasti eum in multis, adjuva me Domine et salvus ero: et sicut conservasti calceamenta et vestimenta Israel per quadraginta annos, deprecor ut sic me conservare digneris et dimittere mea commissa per immensam miserationem tuam.

Libera me Domine sicut liberasti arcam testamenti de templo Dagon et ut liberasti Israel per orationem Samuelis et confugerunt Phylistiim et ingenti coeli fragore perterriti sunt.

Libera me Domine sicut liberasti ierl'm (Jerusalem?) parcens ei cum angelus septuaginta ex Israel occideret milia.

Libera me Domine sicut liberasti David de furore ursi et leonis et Goliae et Saulis et de tribus proeliis Philistinorum deficientium uno impetu et Jonathan filium Saulis et armigerum ejus de stacione Phylistinorum et ab hiis duobus sunt decem milia perempti per potentiam tuam.

Libera me Domine sicut liberasti tres robustissimos David afferentes aquam de cisterna Betheleem, et Banania filium Iojadae de duobus leonibus Moab qui percussit leonem alium in cisterna tempore nivis et interfecit Egyptium in virga et vi extorsit hastam de manu ejus Aicam prophetam virum Dei missum de Judea in Bethel scisso altari et manus regis arida facta est.

Libera me Domine sicut liberasti Helyam Thesbitem de Galiäd et de furore Achab et Jezabel, et de fame et persecutione in spelunca torrentis Karith, cujus oratione coeli prohibiti sunt tribus annis et mensibus sex pluere, et lechicus olei non defecit et farina hydriae viduae non minuta est donec Deus visitavit plebem suam cujus filium suscitavit, quem multi dicunt Jonam esse iterum de ventre ceti ereptum. Obsecro Domine immensam clementiam tuam ut me eripere digneris de profundo faecis malorum actuum quoniam tu es refugium meum in tribulatione quae circumdedit me, et dimitte mihi mea crimina praeterita, praesentia, futura et imminentia quia tibi omnia sunt possibilia.

Libera me Domine sicut liberasti Helyam dormientem in umbra juniperi a persecutione, fame et siti, quadraginta diebus ac noctibus nichil comedentem.

Libera me Domine sicut liberasti quinquagenarium supplicantem ad genua Helyae duobus aliis igne coelesti combustis.

Libera me Domine sicut liberasti Helyam curru igneo elevatum.

Libera me Domine sicut liberasti Helysaeum cum duplici spiritu intrantem secundo Jordanem, Deum Helyae invocantem et misso sale in aquas amaras et steriles in Gericho et quadraginta duobus in Bethlehem illudentibus.

Libera me Domine, ut per eum liberasti populum Israel de siti in expeditione regum Israel et Juda et ut per eum liberasti duos filios viduae de servitute crescente parvo oleo et ut restituisti per eum filium foeminae in Praefania civitate et ut liberasti filios prophetarum a morte et a fame non cognoscentes

herbas quas salvasti colloquintidas per farinam manu Helisei in ollas missam.

Libera me Domine sicut liberasti a fame centum viros et in triginta viros panibus et copia frangmentorum superfuit.

Libera me Domine sicut liberasti Naaman principem regis Syriae a lepra in Jordane et ut liberasti filios prophetarum de profundo Jordanis, fluctu super Egyptios regresso nutu divino et ut liberasti Dathan et Asiae civitatem ab exercitu Syriae cum Dominus ostendisset puero Helisei visibiles phalangas ignitas angelorum erga Helyseum et tunc percussi sunt Syri coecitate oratione ejus et prece.

Libera me Domine sicut liberasti Samariam civitatem obsessam a Benadab rege et nocte sonitu aeris Syrorum castra fugata sunt.

Libera me Domine sicut liberasti centum viros a fame et resuscitasti cadaver mortui tangentis ossa Helisei in sepulchro.

Libera me Domine sicut liberasti Ezechiam regem de morte et infirmitate addens ei quindecim annos sole pro signo per decem lineas reverso. Posco te igitur per largam potestatem tuam Domine misericors ut jugiter me mundare et lavare digneris ab omnibus immundiciis meis sicut sanasti Ysaiam prophetam per Seraphym ab immunditia labiorum suorum et a multis persecutionibus. Custodi me Domine ab omni malo a planta pedis usque ad veticem capitis intus et deforis.

Libera me Domine sicut liberasti Jeremiam prophetam de immunditia Babilonis et persecutione.

Libera me Domine sicut liberasti Danielem prophetam de omnibus angustiis de ira regum de lacu leonum et de fame.

Libera me Domine sicut liberasti tres pueros de fornace ignis ardentis, Ananiam, Azariam et Misaelem.

Libera me Domine sicut liberasti Susannam de falsis testibus et Ionam de ventre ceti et ut liberasti Ninevitas poenitentes in praedicatione Ionae prophetae.

Libera me Domine sicut liberasti Esdram et Nehemiam et Jorobabel et omnem Israel per septuaginta annorum captivitatem.

Libera me Domine sicut liberasti Judam Macchabeum et Israel per Macchabeos in multis periculis praeliisque cum Macchabeis septem qui cum matre martyrium elegerunt.

Libera me Domine sicut liberasti Tobiam a coecitate et filium a demonio per sanctum Raphaelem archangelum.

Libera me Domine sicut liberasti Israel per Hester reginam Austri et ut liberasti Judith et Israel de manu Holofernis, sic michi dimittere digneris, Deus meus, mea facinora magna et nimia et eripe me de morte peccatorum et de omnibus vitiis animae et corporis prateritis praesentibus et futuris et indulge animabus patris et matris meae, fratrum et sororum, parentum, amicorum et benefactorum nostrorum defunctorum, omnia peccata eorum omnibusque quorum elemosinam suscepi et beneficia et pro quibus pollicitus sum orare, tu retributor bonorum retribue illis bona in coelis per gratiam evangelii tui. Domine Jesu Christe, supplico tibi ut indulgentiam et veniam omnium peccatorum meorum dones michi dono misericordiae tuae.

Libera me Domine sicut liberasti Mardocheum de manu Aman.

Libera me Domine, sicut liberasti Zachariam prophetam a silentio et Elizabeth de sterilitate, de ista mortalitate et de immatura morte et de omnibus vitiis.

Libera me Domine sicut liberasti Beatissimam Mariam Virginem matrem tuam de omni corruptione, et tres Magos cum tribus donis de potestate Herodis.

Libera me Domine sicut liberasti temetipsum et beatissimam Mariam virginem matrem tuam et Joseph fugientes in Egyptum, occidente Herode omnes pueros in Bethleem et in omnibus finibus ejus; et ut liberasti genus humanum per temetipsum et superasti inimicum diabolum per te victum in gula, avaritia, et superbia, per quae primus homo cecidit et ut liberasti

leprosum, te descendente de monte, a lepra ; et ut liberasti et sanasti puerum centurionis gentilis in Capharnaum et socrum Petri febricitantem et vespere daemoniacos et omnes malos habentes ; et ut imperasti mari et vento quiescere et ut sanasti duos viros daemoniacos de legione mala missa in porcos.

Libera me Domine sicut liberasti paralyticum annis quatuordecim in grabato portatum in quo tria miracula inveniuntur, peccata dimictuntur, cogitationibus respondetur, verbo plaga solvitur ; sic in me digneris Domine agere Jesu Christe.

Libera me Domine sicut mulierem de fluxu sanguinis in via liberasti et ut resuscitasti principis filiam defunctam in domo et sanasti hominem surdum et mutum a daemonio et manum aridam in Synagoga in Sabbato et daemoniacum coecum et mutum.

Libera me Domine sicut liberasti quinque milia viros extra parvulos et mulieres in quinque panibus et duobus piscibus colligentium fraumenta (*sic*) ad duodecim cophinos.

Libera me Domine sicut liberasti Petrum tecum ambulantem supra mare in quarta vigilia noctis et imperasti ventis et mari et liberasti multos uno praecepto in arvis Genesareth.

Libera me Domine sicut liberasti in partibus Tyri filiam Chananeae mulieris a daemonio vexante, pro fideli et humili atque prudenti responsione, et sanasti quatuor milia viros in septem panibus et piscibus paucis, relictis fraugmentis septem sportarum plenarum.

Libera me Domine sicut liberasti illos de fame et separa me ab omni re injusta sicut elevasti Petrum et Jacobum et Joannem videre transfigurationem tuam in monte Thabor cum Moyse et Helya ubi facies tua ut sol, vestimenta tua sicut nix nituerunt.

Libera me Domine sicut liberasti filium cujusdam lunaticum cadentem nunc in ignem nunc in aquam, quem discipuli tui non curaverunt sic me mundare digneris ab omni malo et ab omni peccato corporis et animae et a peccato Adae et a meis propriis peccatis et ab alienis ; sicut Symon dydra-

chma solvit mittens[31] hamum per imperium tuum et in ore piscis staterem invenit.

Libera me Domine sicut liberasti hominem in Decapoli surdum et mutum, sic illuminare digneris oculos mei cordis et corporis : deduc me Domine in semita mandatorum tuorum.

Libera me Domine sicut liberasti vel illuminasti oculos duorum coecorum clamantium ad te et dicentium, miserere mei Domine fili David, praebens eis lucem.

Libera me Domine sicut liberasti alium coecum in Bethsayda. Deprecor te Domine ut abstrahas me de carne immunda in bonam et perducas me in requiem quando jubeas exire de corpore animam meam sicut Petrum piscatorem qui cum per totam noctem nichil cepit, mane autem in verbo tuo mittens ad dexteram vix ad terram sagenam piscibus plenam contraxit ; et ut resuscitasti juvenem defunctum viduae filium in feretro.

Libera me Domine sicut liberasti feminam rigantem pedes tuos lachrymis, et capillis tergentem, et ingentia peccata ei dimisisti sic michi dimittere digneris omnia peccata mea et vitia corporis mei et animae meae.

Libera me Domine sicut liberasti et erexisti quamdam mulierem curvatam ab annis decem et octo.

Libera me Domine sicut liberasti decem leprosos immissos a principibus in quodam castello obviantes : leprosus[32] unus gratias referre rediit, sic jubeas Domine planctum meum et deprecationem meam in gaudium converti, Deus meus misericors ; et sicut in Chana Galileae cum discipulis et matre in nuptiis[33] sex ydrias lapideas aqua impletas in vino convertisti.

Libera me Domine sicut liberasti Lazarum quatriduanum quadriformi morte cogitationis, et desperationis, et verbi, et actus ; sic me resuscitari jubeas Deus meus.

Libera me Domine sicut liberasti Sabbato in die festo juxta piscinam Jerusolimae cubantem in grabato per annos triginta

[31] The MS. has *mictens*. [32] The MS. *leprosos*.
[33] The MS. *nuciis*.

et octo et expectantem aquae motum, et portavit grabatum in Sabato per populum.

Libera me Domine sicut liberasti alium coecum in Jerusalem cum luto sputum faciens et liniens luminum loca, lota in aqua facie ; et sicut sanasti auriculam Malchi sacerdotis servi abscissam[34] gladio Petri, sic sanare digneris animam meam ; et sicut suscitasti multa corpora sanctorum dormientium post Resurrectionem tuam.

Libera me Domine sicut liberasti animas eorum in inferno et eripuisti eas tertia die resurgens, per quadraginta dies in multis argumentis cum Apostolis degens, ascendisti in nube vera carne in dextera Dei Patris sedens qua numquam deeras ; ibi pro me digneris interpellare in tua pietate liberans me : et sicut misisti Spiritum Sanctum super Apostolos et centum viginti animas in igne ut purgaret et illuminaret eas, sic illuminare et purgare me facias ab omnibus immunditiis meis.

Libera me Domine, sicut liberasti in umbra Petri multos homines de corporali egritudine et ut hora nona sanasti Paraliticum per Petrum ab Herode inclusum in carcere et ab angelo deductum reversum in se.

Sana me Domine sicut sanasti per Petrum in superioribus regionibus Eneam ab annis octo jacentem in grabato et per eum in Joppen Tabitam a mortis sompnio suscitasti, ubi ille vas de coelo per montem excelsum vidit, in quo erant omnia quaecumque sunt in terra excepto homine.

Libera me Domine sicut liberasti Paulum venientem in Damascum de errore et ut resuscitasti per eum Euticium mortuum de fenestra coenaculi delapsum et ut liberasti per eum patrem Publii principem militiae ac insulae de dinsintherium et febribus.

Conserva me Domine ut conservasti Paulum in Milithena insula vipera percussum et ut liberasti eum lapidatum a Judaeis pene usque ad mortem, et eum naufragium facien-

[34] The MS. *absysam.*

tem triduo nocte et die in profundum maris conservasti et restituisti ad prosperum.

Libera me Domine sicut liberasti multas egritudines tactu vestimentorum ejus et de obsessis corporibus immundos spiritus depulisti.

Obsecro te Domine Deus meus omnipotens per multitudines misericordiae tuae ut sic dimittere digneris omnia peccata mea praeterita, praesentia et futura et imminentia quia tibi soli peccavi et tibi possibilia sunt omnia: non secundum actum meum postulo sed secundum indulgentiam et immensam pietatem tuam et in misericordiam quia non dignus sum.

Rogo te sancta Trinitas una, unitas trina, veritas, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, et per omnia opera tua visibilia et invisibilia opera manuum tuarum et per omnes virtutes tuas atque vias et per verba tua et per omnes creaturas tuas atque ministros tuos et militiam sanctam coeli et per omnem sanctam Ecclesiam tuam Catholicam ab oriente usque ad occidentem, ab aquilone usque ad meridiem, et precor te Domine ob immensam clementiam tuam ut concedas mihi veniam et indulgentiam peccatorum meorum et per omnia tempora usque in finem eripias me a morte peccati et a macula animae meae et corporis et indulgeas animabus patris et matris meae, fratrum, sororum, parentum, amicorum, et inimicorum et benefactorum meorum vivorum atque defunctorum omnia peccata eorum et maxime hiis pro quibus pollicitus sum exorare.

Te Sancta Maria Dei genitrix rogo, et adjuro vos omnes novem ordines angelorum, et sanctum Michaelem et Sanctum Joannem Baptistam atque duodecim Apostolos,

Petrum,
Paulum,
Jacobum,
Joannem,
Thomam,

Matheum,
Jacobum,
Philippum,
Bartholomeum,
Symonem,
Thadeum,
Mathiam,
Barnabam,
Lucam,

et omnes sanctos ut oretis pro me ad Dominum ut eripiat me a cunctis malis imminentibus et a perpetuis tormentis amodo usque in sempiternum, per eum cujus initium non habet finem.

Ave Maria, etc.

Ora pro me indigno famulo tuo Sancta Maria Dei genitrix, virgo castissima et piissima :

Sancte Michael,
Sancte Gabriel,
Sancte Raphael,

omnes Sancti Throni et sanctae Dominationes,

Sancti Principatus,
Sanctae Potestates,
Sanctae Virtutes,
Sancti Cherubim,

orate pro me misero ut per vestra sancta merita, omnia mea dimittantur a pio Domino peccata.

Omnes Angeli et Archangeli, sancti Prophetae et Patriarchae et omnes sancti Judices, et Duces, et sancti Reges et Machabei, omnes sancti Infantes et electi Dei intercedite pro me.

Christi nativitas,
Christi circumcisio,
Christi baptismus,
Christi operatio,
Christi virtus,
Christi doctrina,
Christi praedicatio,

Christi crux,
Christi passio,
Christi anima,
Christi caro,
Christi spiritus,
Christi resurrectio,
Christi ascensio,

et adventus Spiritus Sancti Paracliti defendat me ab omnibus insidiis calidi inimici, Amen.

Omnes sancti discipuli Domini, et sancti successores, orate pro me:

Sancti Baptistae,
Sancti Principes,
Sancti Episcopi,
Sancti Presbiteri,
Sancti Diaconi,
Sancti Lectores,
Sancti Exorcistae,
Sancti Ostiarii
Sancti Martyres,
Sancti Confessores,
Sanctae Virgines,
Sancti Anachoritae,
Sancti Monachi,
Sancti clerici,
Sancti laici,
Sanctae uxores,
Sanctae viduae,
Sancti domini,
Sancti servi,
Sancti divites,
Sancti pauperes,
Sancti factores,

isti et omnes Sancti Dei cum Trinitate perfecta sint loricae animae et corporis mei cum omnibus compaginibus meis intus

et deforis a planta pedis usque ad verticem capitis, visui, auditui, odoratui, gustui, tactui, carni et sanguini omnibusque ossibus et nervis et visceribus, venis, medullis, artubus, et contineant a morte: per Te enim Domine omnia membra vivificentur, inspirentur et sanentur.

Protege me Domine a dextris et a sinistris, ante et retro, subtus et superius, in aere, in terra, in aquis, in mari, in flexu, in erectione, in gressu, in statione, dormiendo, vigilando, in omni motu et in omni die, in omni hora, in omni loco, in omni nocte, et in omnibus diebus vitae meae.

Custodi me, adjuva me Deus Trinitas, omnipotens Deus, adonai, araton, osya, eloim, helyim, elon, sabbaoth, ele, eleria, subdia.

Domine Deus immutabilis et aeternus, id est, Emmanuel Christus Jesus, libera me, Deus omnipotens, ab omnibus periculis in terra et aquis, et phantasmate omnium bestiarum et volucrum et quadrupedum et reptantium : defende me Domine ab igne, a fulgure, a tonitruo, a grandine, a nive, a pluvia,[35] a periculis, a terraemotu, ab omnibus malis, a veneficiis, ab invidiis, et a malis oculis, auribus, et a periculis laci et tenebrarum, a demonio, et a sagitta[36] volante in die, a negotio perambulante in tenebris.

Defende me Domine et a cunctis insidiis et detractionibus nocere volentium.

Protege me Domine ab omni malo, ab ira, et qui infestat bonum.

Confiteor et accuso coram te, creatore meo, omnia peccata mea quae ab ineunte aetate mea usque in hanc horam commisi et omnia vitia mea, superbiam, inanem gloriam septiformem et iram saevientem, tristitiam et septiformem avaritiam, et octavam gulam et fornicationem, quia istis et eorum exercitibus plenus sum.

Sed hiis poenitet me et ejicio de me ea et abrenuntio omnibus peccatis meis magnis quae commisi in corpore et anima

[35] The MS. has *pulvia*. [36] The MS. has *sagypta*.

in memetipso in proximo, in cogitatione, in verbo, et in opere, et scribo ea per ordinem ut deleantur, et confiteor adversum me ut remittas impietatem peccati mei; peccator enim sum et de peccato, natus sum, Deus autem sine peccato.

Rogo Patrem per Filium: rogo Filium per Patrem: rogo Spiritum Sanctum per Patrem et Filium, et per omnem creaturam quae voce et opere laudat Dominum ut omnia vitia elongentur a me et omnes Sanctae virtutes plantentur in me.

Deus immense in quo omnia, per quem omnia, a quo omnia facta sunt, visibilia et invisibilia quae se suprategens et infraferens, opera tua extra circumdans et infra implens.

Custodi me, Domine Deus omnipotens, creaturam tuam quam tu formasti, abrenunciantem Sathanae et omnibus pompis ejus et operibus, et credentem in Te Deum, Patrem, verum et unicum Deum omnipotentem ubique gratias agentem de omni vita mea et omni sanitate mea et omni egritudine mea, et de omnibus vitiis animae meae et corporis, et innumerabilibus Tibi offensis.

Oro ad Te, Domine, pro persequentibus et calumpniantibus me. Domine Jesu ne statuas illis hoc peccatum quia nesciunt quid faciunt.

Libera me Domine Deus omnipotens ab ista angustia et ab omni malo, a subitanea et improvisa morte, ante mortem et in morte, a perpetua morte in futuro et post mortem ab omni malo et pena: libera me Domine Deus omnipotens et omnem populum Christianum. Amen.

Kyrie eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison.

Pater Noster. Credo in Deum.

Domine Deus omnipotens, creator coeli et terrae, exaudi propitius orationem meam quam decantavi, magnificentiam tuam Domine exorans et deprecans pro famulis et famulabus tuis; et concede nobis vitam et sanitatem in hoc saeculo et

post transitum animarum nostrarum cum omnibus sanctis vitam et requiem sempiternam et gratiam tuam sine fine. Amen.

Suscipe digneris confessionem meam, Sancta Trinitas, Domine Deus omnipotens unica vera et sempiterna spes salutis meae quam ego peccator effundo in conspectu pietatis tuae et misericordiae: confiteor quia peccavi in gula, in ebrietate, in libidine, in luxuria, in immunditia, in tristitia, in acidia, in sompnolentia, in ira, in cupiditate, in invidia, in malitia, in odio, in detractione, in mendacio, in perjurio, in vana gloria, in levitate ac superbia, in concupiscentia, in avaritia, in negligentia, in impudico aspectu, in cogitatione iniqua et immunda, et in locutione prava et vana, in operatione perversa, in fornicatione et in delectatione et consensu iniquo et injusto, et in omnibus vitiis et iniquitatibus et immunditiis reus et culpabilis factus sum plusquam possim corde cogitare vel ore dicere vel aestimatione pensare sed tu Deus qui non vis mortem peccatoris sed ut convertatur ad Te et vivat, qui justificas impios et vivificas mortuos, tu justifica et resuscita me per tuam magnam misericordiam et sempiternam gratiam. Amen.

VITA METRICA SANCTI BRENDANI.[1]

Vana vanis garriat : pagina pagana
Greges agros prelia : vox vigiliana
Mundi dilectoribus : placeant mundana
Alexandri studia : pia sint non vana.

Is per viam tridui : liber in deserto
Corde deo proximus : azimes referto
Pie sitit seriem : ad quam stilum verto
Dulcis sitis pia sunt : viam hanc experto.

Usus sese sequitur : ut est jus nature
Voluptate trahitur : mens infecta jure
Jugiter jus siciunt : quibus jura cure
Deo nubit pia mens : fragrans tali ture.

Pius ille signifer : cujus jussu scribo
Pio petit refici : me ferente cibo
Pietatis cibus est : via per quam ibo
Sed tantillus talia : qualiter subibo.

[1] Brit. Mus. Cotton MS., Vesp. D. ix., fo. 1. In a hand of the fifteenth century the title is added: "De S. Brendano;" another hand, in the eighteenth century, adds: "Vita S. Brendani." The cesura in the middle of each line is marked as in the original MS. The reader will take care not to confound it with the colon. It will be well also to hold in mind that the *æ* is invariably written *e*, as is usual in early Irish manuscripts. The ... in the text marks a word or words illegible or defective in the original MS.

Secretorum seriem : sorte singulari
Que Brandanus peregre : meruit rimari
Ausus preter ceteros : metrice profari
Ausum talem talia : possum me mirari.

Ausus talis taliter : talia scrutari
Montem bos contamino : dignus lapidari
Digne mihi video : dignos indignari
Dum tantillus audeo : tantis implicari.

Sed qui me preeligit : ad hoc opus natis
Facit excusabilem : rem temeritatis
Suus sum auriculis : sublima foratis
Suus sum ad omnia : debito non gratis.

Modis hec ut precipit : rithmicis explano
Hunc in modum transferens : rithmo de romano
Scriptum vetus renovo : dum hec nova cano
Sic vetustas precinit : scribens de Brandano.

Sic vetustas precinens : est exemplar rei
Si falluntur nescio : derogantes ei
Scio cum hoc nesciam : supra posse vehi
Posse plus insolita : potestatem dei.

Ortus in hybernia : flos est puerorum
Puer vir in puero : forma seniorum
Puer annis teneris : vir virtute morum
Decus hoc in pueris : satis est decorum.

Is Brandanus nomine : soboles regalis
Equo suo generi : moribus equalis
Sic a malis destitit : in diebus malis
Ut stupentes dicerent : quis hic homo talis.

Evo jam maturior : mente maturescit
Mente mundo dissona : decrescendo crescit
Quo plus mundus floruit : ei plus vilescit
Instans sic insistere : perstat nec tepescit.

Perstat mente spernere : visibus horrere
Manu res repellere : voce demovere
Et ne mora minuat : pium hoc fervere
Instat tali tedio : fugam adhibere.

Mundum confert ignibus : fragili se cere
Cera cum incendio : timet commanere
Et se carnis memorans : paleas habere
Procul fit a faculis : ne sit ustus fere.

Ergo leves passeris : emulans volatus
Passer ipse misticus : et pusilli status
Ad montanum evolat : statum monachatus
Postmodum de monacho : monachis prelatus.

Abbas jam de monacho : mater fit in patre
Patris ei gravitas : amor dignus matre
Patrem matre temperans : imperabat grate
Sic qui fratres regitis ; patres imperate.

Erant hii qui suberant : qui parebant seni
Fratres enim disperis : quia ter milleni
Cum in terra viverent : pene non terreni
Meritis emeritis : viri celo pleni.

Christus eis vivere : carnis crux amori
Summa vite prosequi : placita pastori
Pastor is et pabulum : dux et via chori
Chorum ita ducere : decus est ductori.

Gregis ita primus : ille vir electus
Ad superna studia : totus est erectus
Mansit in celestibus : abhuc carne tectus
Vite situ celite : celis jam invectus.

Evo jam provectior : cepit nolle velle
Quod vix notum noverat : usui rebelle
Adam quid demeruit : dulcis pomi felle
Situm justis debitum : et penalis celle.

Adam quem demeruit : ille quis sit ortus
Orti que delicie : quis sit pio portus
Reo quis cum moritur : horror sit obortus
Hic vel hic quo transeat : regnans vel absortus.

Horum desiderio : fervet indefesse
Non fervorem minui : sinit non deesse
Orat ; carnis oculis : possint hec subesse
Orat ne preveniat : mortis hec necesse.

Dum subest devocio : votum augmentatur
Votum spes subsequitur : spem res comitatur
Justo deus annuit : juste quod precatur
Se de dignis argui : qui non dedignatur.

Spiritu consilii : sanctum inspirante
Hinc Barinthum consulit : virum vite sancte
Hujus rei conscium : hec expertum ante
Cujus munit monitis : vota rei tante.

Is cum gradu nomine : dignus presidentis
Presidens in nemore : monachis trecentis
In unius numerum : minuit augmentis
Turturis solivagi : legem eligentis.

Insule subsidium : nactus hic in mari
Cepit mari moribus : constans reluctari
Mernox nomen hominis : cujus pares rari
Cujus fata consequi : par est cum beari.

Hinc absistens substitit : meliore statu,
Transiens ad insulam : gratam incolatu
Nam hic aromatico : pastus est afflatu
Eden, quem florigero : sparsit odoratu.

Paradiso proximus : locus ille felix
Fovit hunc angelico : visu cum loquelis
Hec odorans audiens : videns vir fidelis
Fit in terris socius : celicis et celis.

Dum sic ovem perditam : pastor suus querit
Sed non male perditam : que tam bene perit
Vidit maris inviis : dum se viis terit
Que Brandanum docuit : hec qui vota gerit.

Sic Brandanus monitus : cursibus duorum
Ex hiis ausum animat : cursuum novorum
Hec cum suis contulit : optimis suorum
Tessera cum decade : numerus eorum.

Consulit et consulunt : approbantque vota
Fervet ad consorcium : cohors ea tota
Prompta nave provehi : pede sine rota
Viis non incognitis : non morosis mota.

Sic ferventes intuens : hylaris effectus
Monet ut in fervidis : constans sit affectus.
Quo nos inquit vehimur : pulcher est provectus
Pulcris in provectibus : turpis est defectus.

Fratres quem subibimus : labor est supremus
Prece cum jejuniis : eum roboremus.
Preci cum jejuniis : dum hiis insistemus
Quadrageni temporis : dies consummemus.

Acta probat exitus : probat hoc poeta
Texit toga poderis : filium propheta
Non meatus bravio : muniat sed meta
Certa laus ad vesperam : datur de dieta.

Dixit situm exuunt : vite letabunde
Situs eis genitus : atque preces munde
Se ter in ebdomada : pascunt infecunde
Pastu penitencie : vite gemebunde.

Hec protelant hic et hii : visibus anelis
Seni donec astitit : angelus de celis
Per quem deum didicit : hiis placatum zelis
Et que vie series : et quam plena prelis.

Gregem statim convocat : ait convocatis
Sic est et sic volumus : et vos valeatis
Prior curas peragens : vite sit abbatis
Jubens hic vos supplices : tante vos agatis.

Ad hec cunctis flentibus : cum premissis exit
Contribules preterit : notos non respexit
Se cum xiiij : mox ad mare vexit
Levigat abietes : ratem ex hiis texit.

Coriatur ungitur : ad cautelam ratis
Escis eam onerat : sic preordinatis
Ut per sex ebdomadas : sit ad victum satis
Hora fit, introiit : junctis prenotatis.

Portus unde navigant : saltus est Brandani
Quem sic sancti gratia : vocant Christiani
Portum gurges efficit : sinu non immani
Defluus de rupibus : lateris montani.

En preventis cursibus : ratis procedentis
Subsecuti socios : tres ejusdem gentis,
Ejulant ex littore : manibus protentis
Et nos pater suscipe : precas si dissentis.

Pater natos respice : vultibus paternis
Parva sumus sarcina : tantum tres ut cernis
Non paternus pater es : si nos tuos spernis
Si nos tuos reicis : conferens externis.

Respicit et suscipit : voces dando tales
Pares estis aditu : metis inequales.
Duos nostrum demetent : falces infernales
Turbida sors tertii : mete sunt vitales.

Tunc expansis manibus : petit a tonante
Ut sit iter prosperum : illo prosperante.
Signo crucis edito : retro circum ante
Benedicit omnibus : motu manus sancte.

Vela malum palliant : sinus formant venti.
Eurus ratem provehens : mittit occidenti
Federati gratia : flatus et fluenti
Volent ut velocius : remis sunt intenti.

Jam diebus xv : prospere completis
Eurus fessus siluit ; pax fit tibi thetis
Pax fit nautis turbida : planctus non quietis
Pax qua cursus demitur : dempto flatu fretis.

Pax laborem peperit : labor hic dolorem
Anget labor corporum : cordium angorem.
Sed crux tanta solvitur : crucem in minorem
Dum solantem audiunt : suum seniorem.

Non nos inquit pregravet : vela non volare
Velis non volantibus : sic vos laborare
Nec sunt fida flamina : nec est fidum mare
Fidum fedus deum est : fide complacare.

Dum per anni spacium : languet sic carina
Sine flatu preside : lenta non festina
Cum deflatis flatibus ; urgent mala trina
Labor, victus modicus : virium ruina.

Vere pii provide : deo militatis
Vere piis pius est : auctor pietatis
Piis his tam deviis : tam contribulatis
Terram monstrans hos ad hanc : ventis de...

Terre dum hos admonet : spes hic respirandi
Amoventur proximi : pre terrore grandi
Terror latus litoris : negans nautis pandi
Ad spem solam patulum : statim naufragandi.

Rupes rupe durior : litoris structura.
Celsa, scabra pendula : spondet queque dura
Nusquam navis inibi : fidens vel secura.
Circuit per triduum : portum quesitura.

Die forte tercia : cessit in tranquillum,
Rupis in latibulis : portum in pusillum
Portum sed non navium : navis sed portillum
Navem eo dirigunt : invehunt in illum.

Eminebat cominus : oppidana sedes
Mira muri gloria : mire nitent edes
Sedit navis exeunt : huc divertunt pedes
Quenam sint qui viderint : facile non credes.

Muri mirus ambitus : totus cristallinus
Quisque lar marmoreus : laris intra sinus
Decus est parietum : maximo non minus
Gemmis cum sidereis : fulgor obrizinus.

Cum hec queque deceant : regis majestatem
Cum delectent hec et hec : fratres et abbatem
Stupent sine civibus : esse civitatem
Nam nec ibi subditum : vident nec primatem.

Restant de palacio : propalanda quedam
Ab hiis huc intrantibus : quid sit gestum edam
Predo preda qualiter : factus sit per predam
Raptus morte subita : per rapinam fedam.

Sedens senex imperat : fratres mihi cari
Si quid hic est commodi : pergite scrutari
Pergunt rem renunciant : dignam nunciari
Victum hic suppetere : gazas cumulari.

Victus promunt plurimum : preside mensura
Vetat senex transgredi : rigida censura
Vetat prout creditur : precanens futura
Ne jus fedent fidei : perfida captura.

Agunt deo gracias : et hic pernoctatur
Sed dum nocte dormiunt : furtum perpetratur.
Furem Satan incitat : fit quod incitatur
Cifum rapit aureum : raptus clam locatur.

O insaciabilis : cava mens avari
Statum tuum nescio : satis admirari
Tibi sacer nil est : minis minorari
Te non trita tartarus : non est sine pari.

Crater non est habitus : pari par ex ere
Superat materiam : opus in cratere
Fur post furtum recubans : dum vult hec latere
Senem quicquid contigit : contigit videre.

Vidit hec in spiritu : vir spiritualis
Clare videt lumine : mens quam deus alis
Facto jam quatriduo : propalatur calix
Sermo dum ad reduces : fit a sene talis.

Nemo quicquam auferat : pensu rerum motus
Eris supellectulis : cibi sive potus
Et ad hec flens intulit : deo vir devotus
Si sum mei conscius : fur est mihi notus.

Designatus patulo : furtum fur agnovit
Furtum coram omnibus : devovere vovit
Stratus patri supplicat : hic flet hic ignovit
Et ignoscens suplici : promit que prenovit.

Fratres inquit reum hunc : prece sullevate
Ruit ut videbitis : et prefestinate.
Ad hoc Satan prosilit : clamans vir ingrate
Cur me mea proicis : ex hereditate.

Dictis hiis disparuit : rei cor tabescit
Vultus ei decidit : morbi vis successit
Sumpto mox viatico : pervius decessit
Quin decessit pervius : egra nulli spes sit.

Hunc saluti senior : solum prenotavit
Eurus cum in litore : secus prophetavit
Tumulatur remeant : et sors nova favit
Astans navi nuncius : hoc denunciavit.

Pastum nobis defero : mentes hilarate
Potum jungo pascui : sumite servate
Quo nos cunque deferet : pede sors vel rate
Premet nec periculis : sed nec egestate.

Fructus hiis laboribus : res succedat spei
Vobis res quam petitis : nutu cedet dei
Vobis hic non deerit : sors hec cari mei
Donec ad proeccius : nos contingat vehi.

Cognoscentes nuncium : omnes per ignotum
Deum pie prosequi : quod vovere votum
Vela ventis explicant : deo cor devotum
Et hoc cursu transigunt : annum pene totum.

Viam maris inviam : tamdiu temptatam
Portu tandem terminant : ita terminatam
Nacto portu nacti sunt : terram satis gratam
Grege fecundissimo : terram fecundatam.

Grex hic fecundissimus : oves novi moris
Ovium corporibus : corporis majoris
Quales cernas cernimus : celticis in oris
Omnes albe nulla est : disperis coloris.

Tunc sic pater fratribus : laudes deo demus
Diem cene domini : diem hunc habemus
Pascha post hoc triduum : usque tunc hic stemus
Unam tamen ovium : nobis preparemus.

Cum hoc solum suppetat : jubet sic audere
Jubet et fit inibi : biduo stetere,
Die vero sabbati : secus si videre
Senem crine niveum : formule sincere.

Salutatis obtulit : panes gratos vere
Quorum nix albedini : posset invidere
Addit si quid deficit : presto sum suplere
Panes erant azami : grates persolvere.

A Brandano dapifer : quis sit loci situs
Quis grex talis ovium : dixit inquisitus
Loquens breviloquio : loquens ut initus
Est hic locus copiis : satis insignitus.

Erit harum ovium : nulla transportata
Nulla pressa frigore : nulla morbo strata.
Ad hanc inquit insulam : insula vocata,
Ite sic a deo est : res preordinata.

Noctem hanc in insula : celebrem ducetis
Cras ad pasche gloriam : missas concinetis
Gestis hiis celeriter : inde navigetis.
Quare sit, nunc nescii : postea scietis.

Locis hiis nos reduces : loca mittent illa
Divertetis alias : navem et vexilla,
Unde sum quo prosequor : erit sors tranquilla
Non caribdis metui : vobis sit aut scilla.

Hiis in locis obvius : adero non lente
Adero viatico : cum sufficiente[2]
Vecti ventis insulam : nacti sunt repente
Sedit navis, exeunt : sene remanente.

Pascha prout licuit : prout potuere
Cantibus vigiliis : missis peregere.
Post refectum spiritum : corpus refecere
Corpus ut reficerent : ignem accendere.

Humi cibos excogunt : cibis jam paratis
Hic cibandi resident : sedibus moratis
Nam movetur insula : se retraxit ratis
Clamant, pater adjuva : subveni jam stratis.

Deus inquit adjuvet : deum reclamate
Cibos cito tollite : cicius intrate
Intrant, sed non sine : vix et difficultate
Hebent in stuporibus : mentes sic turbate.

[2] In the margin here is added : "de pisce quem iasconium nominant."

Stupent humum solidam : rem inanimatam
Ut volantem volucrem : jam jam elongatam
Multis miliariis : subito sublatam
Quam per piram denotant : nondum exturbatam.

Tunc sic senex mea gens : ne rem hanc ignores
Belua non insula : dedit hos terrores
Vocant matrem piscium : piscem hunc doctores
Primum est natatile : tales ejus mores.

In tam mirabilibus : auctor tam mirorum
Miratores allicit : operum suorum
Ut cum plus premiserat : sumat plus honorum
Amet plus et timeat : talem mens piorum.

Cum hiis verbis preterit : ratis satis cito
Et jam terram conspicit : sanctus heremita
Hic est a dapifero : terra prefinita
Portum captant cursibus : et factum est ita.

Ratis procul trahitur : rivi per secreta
Ut quiescat cicius : tuciori meta
Prius ut promiserat : dapifer propheta
Vices has non asperant : flatus neque freta.

Arbor marmor parium : superans candore
Parte ripe cernitur : in secreciore
Lata densans folia : bino sculpta flore
Liliorum gloria : rose cum rubore.

Stipes stupor nubibus : arboris elate
Ramos ex se sperserat : spaciantes late
Longos et innumeros : plenos novitate
Avibus intentibus : nivis claritate.

Dumque stupent senior : et gens senioris
Alites et arborem : tam mirandi moris
Novum hoc stupentibus : novat vis stuporis
Prore quidam alitum : ex hiis astans choris.

Qui dum pulsat aerem : remige pennarum
Sonus fit ut dulcium : sonus campanarum
Forme decus decorat : canor hic alarum
Ornant sese mutuo : clarus et preclarum.

Contestatur senior : residem ibidem.
Dic dic si sors dei es : dictis servans fidem
Qui vos et quis locus hic : cur vos servat idem.
Sumus inquit angeli : sed non nunc ut pridem.

Sumus cum lucifero : lucidi creati
Cetus quidam subditus : ejus majestati
Ei dum paruimus : post ausum peccati
Cum ruente ruimus : sed non eque strati.

Tumido servivimus ; sed non intumentes
Non peccati complices : non hoc molientes
Hec nos reddit racio : stratos et plaudentes
Tali causa taliter : sumus hic degentes.

Nos a pena liberat : pene rex supremus
Pene sed non penitus : regno nam caremus.
Has pro regni sedibus : sedes possidemus,
Paradisus noster est : hoc amenum nemus.

Vestri primum exitus : annum nunc completis
Adhuc sex complebitis : vos frangendo fretis
Pascha super beluam : sexies agetis,
Eden post videbitis : atrium quietis.

Redit hinc ad arborem : alis sullevatus
Ales vel si creditur : angelus alatus
Plaudit circa vesperam : totus comitatus
Plausibus modificant : tales modulatus.

Dignas agunt gracias : digne deitati
Dignis a deicolis : quod sunt visitati
Simili levamine : nuncquam relevati
Nuncquam vultus hominum : ante contemplati.

Angelorum advene : laudibus allecti
Collaudantes dominum : cibo sunt refecti
Dicto completorio : substernuntur lecti
Sompnum sumunt, ratis est : pro tutela tecti.

Galli cantus tempore : surgere cepere
Matutinos concinunt : angeli juvere
Homines cum angelis : voces miscuere
Nutu dei potuit : sic se res habere.

Mane facto dapifer : astitit predictus
Lenit nos solaciis : et promisso victus
Justus non est inquiens : inops derelictus
Ruens vel inopiam : victus vel amictus.

Festi sancti spiritus : clausulis finitis
Huc vos via revehet : modo quam subitis
Erit binis mensibus : requies hic sitis
Copia non deerit : timidi ne sitis.

Verba post solacii : dapifer discedit
Item die tercia : solaturus redit
Singulis ebdomadis : bis solamen dedit
Senex agit gracias : dicta nec excedit.

Cum fit nautis requies : ratis resarcitur
Pro vetustiis coriis : novis communitur
Solitis solaciis : dapifer blanditur
Viij (*i.e.*, octo) menses protrahunt : victu quam largitur.

Vale dicto postmodum : sese flens absentat
Vie cursum digito : signat et ostentat
Ales item advolans : rati se presentat
Iam vos inquit commode : mora non retentat.

Ad Albei terminos : vobis transportandis
Restat via longior : vie labor grandis
Mare spondet aspera : quod nunc nauta scandis
Sed non deus deerit : si cor deo pandis.

Itur et in limine : venti sunt secundi
Sed minaces ilico : demum furibundi
Terra visa cupiunt : ratem huc infundi
Sed per menses quatuor : passi sunt retundi.

Mense sexto proximi : nos repellit litus
Saxeus et invius : litoris est situs
Longos cassat ambitus : portus hic quesitus
Die quadragesimo : labor est finitus.

Portum agit rivulus : hunc optinuerunt
Fessos fovet requies : post se foras ferunt
Dumque quo sit opus hic : situm vecti querunt
Fontes legis disperis : duos repererunt.

Is illimis nituit : hunc turbabat limus
Curritur et nititur : esse quisque primus
Senex, ne tam lubrici : simus si sitimus
Foncium nos advene : que sit lex nescimus.

Premit dum inprovidos : providus Brandanus
Ecce quidam monachus : evo veteranus
Stratus seni suplicat : inicitque manus
Gestu dici poterat : ebrius vel vanus.

Singnis eum protrahit : ei nil locutus
Stupefecit previus : subsequentem mutus
Dumque gressus dirigunt : dirigunt obtutus
Clarum in cenobium : mutum huc secutus.

Cetus patrem sequitur : eis eo vectis
Loci pater obviat : sibi cum subjectis
Splendent omnes vestibus : splendide confectis
Thure textis crucibus : feretris adjectis.

Splendet in ornatibus : quibus splendent isti
Aurum quo non clarius : arabs effodisti
Auro cari lapides : micant intermixti
Summo plausu nititur : gens hec nautis sisti.

Dato pacis osculo : plebs hec conglobata
Intrant orant pariter : prece perorata
Cena sese recreant : cena sacer grata
Panibus radicibus : aquis fecundata.

Panes nitidissimi : sapide radices
Quasi manne peragunt : in sapore vices
Musco si contenderint : aque sunt victrices
Pigmentatas crederes : aquas has felices.

Post peractas gracias : dicto miserere
Nautis hospes innuit : omnes annuere
Preit, exit, exeunt : sedit considere
Tunc de loci seriis : cepit hos docere.

Hic nos inquit monachi : sumus quater seni
Grex Albei suplicis : senis deo pleni
Locum sanctus angelus : designavit seni
Anni post quam transiit : sunt bis quadrageni.

Exul sponte potens hic : longa via fractus
Presens est cenobium : deo duce nactus
Vite post melliflue : dulces per attractus
Sibi nos confederans : dux est noster factus.

Germinante semine : quod in nobis sevit
Cum provectus seminis : in maturum crevit
Carnis, carne moriens : debitum implevit
Quem ut credo vite mors : dedit dum delevit.

Ex tunc ejus meritis : nil hic adversatur
Nullus hic offenditur : nullus infirmatur
Panis sine baiulo : sine cura datur
Singulis nunc integer : nunc dimidiatur.

Integer per singulos : cum solempnizatur
Alias, dimidius : hunc et hunc solatur,
Sic quos nostis foncium : lex cooperatur
Abluit nos turbidus : liquidus potatur.

Calet fons turbidior : liquidus frigesit,
Hinc est quod is abluit : sitim is compescit
Mira miris prosequor : et quod usus nescit,
Nostris in lampadibus : liquor non decrescit.

Horis quinque surgimus : deus hic impendit
Per se lampas subito : flamma apprehendit
Flamma nil consumitur : nil ad minus tendit
Per se flamma deficit : per se reaccendit.

Et nunc nos insolitus : hilarat eventus
Sumpsit (panem)[3] duplicem : noster nunc conventus
Credo dei gracia : duplex est obtentus
Signum nostri meriti : situs et adventus.

Nostre nunc fruemini : paupertatis rebus
Donec in aquarii : signum cedat phebus
Festo stelle transito : paucis cum diebus
Vos sors vestra subtrahet : nostris faciebus.

Hinc se posse subtrahi : graviter ferenti
Sic Brandano senior : frenum pone menti
Obstat sors propositum : tale proponenti
Stultum est resistere : deo disponenti.

Primam spem prosequere : cor hiis curis ure
Tellus que te genuit : dabit sepulture
Substant dato tempore : ratis processure
Itur junctis barbaris : conducendi jure.

Vale facto prodeunt : palliatur malus
Diu vectos suscipit : sali densa palus
Flatuum et fluctuum : omnis casus malus
Angustantur undique : desperatur salus.

[3] There is a word omitted here in the text: originally the hiatus was supplied in the margin, but it is now cut away.

Vite spem ademerant : fames sitis dira
Longus labor languidus : flatus maris ira
Cum divina pietas : vere satis mira
Tali talem subito : luctum lenit lira.

Astant leto litori : portum intrant letum
Commeatu piscium : rivulum repletum
Quorum captis copiis : properant ad fletum
Estque fato flebili : gaudium deletum.

Triti siti nimia : prohibente sene
E quo dum plus hauriunt : sunt exhausti pene
E quo quas plus hauserant : aque sunt serene
Sed vel virus inerat : vel lethee vene.

Sopor omnes occupat : illum biduanus
Illum sopor triduo : nulli sensus sanus
Prece quos vix excitans : intulit Brandanus
Fuga cita fugite : locus est profanus.

Circa rivum carpserant : in quo sunt piscati
Herbas salutiferas : et saporis grati,
Potum post pestiferum : tandem debriati
Herbis hiis et piscibus : fugiunt ditati.

Fugiunt velificant : deo portum dante
Avium in insula : die cene sancte
Quos hic structa camera : fessos obumbrante
Novat veste dapifer : lavacro purgante.

Diem cene celebrant : sequens hic finitur
Transeunte sabbato : piscis mox aditur
Ibi quem omiserant : lebes reperitur
Pasche fit celebritas : hic post sextam itur.

Libere pacifice : rati sunt ad moti
Non ut prius belue : modo motu moti.
Avium ad insulam : transeunt devoti
Notam notant arborem : procul hinc remoti.

Dulce canunt alites : dulci modulatu
In suorum hospitum : leti remeatu
Portus patet pristinus : cum quieto statu
Famulatur dapifer : grato famulatu.

Cibis huc advenerat : onerata nave
Eis hiis impendiis : gratum defert ave
Addit hec solacia : solans non ignave
Vos dum sorti preero : nil gravabit grave.

Erit quies placida : vobis hic locatis
Festum donec transeat : sancte trinitatis
Rediturus abeo : bene valeatis
Substant tempus sustinent : processuris ratis.

Iam instante tempore : quo sint hinc delati
Astans unus alitum : loquitur abbati
Ibitis nunc alibi : nunc hic collocati
Annis quinque taliter : huc et huc translati.

Die cene quinquies : agni virginalis
Tellus vobis avium : erit hospitalis
Fiet super beluam : festi laus paschalis
Cum Albei monachis : domini natalis.

Dixit et se referens : successori cedit ,
Navit onus iterans : dapifer succedit
Diu satisfaciet : victus quem hiis dedit
Flensque fusis precibus : navigans recedit.

Partes ad occiduas : hinc feruntur vento
Vento non ad libitum : languido fluento
Dies per ter xv : pressos cursu lento
Plus premente contigit : premi detrimento.

Fertur eis obviam : belua marina
Equans montem corpore : situ serpentina
Vultu non notabilis : eis jam vicina
Quam vicinam cernere : par est cum ruina.

Fedus ardor alitus : et hyatus oris,
Turpe vallum dencium : tonitrus clamoris
Dicere deficio : quanti sint terroris
Quantum hiis deficiat : choors senioris.

Tunc sic pater fratribus : sumite solamen
Tritum cito decidet : hoc terroris flamen
Est, in deo fidite : proximum levamen
Nos de manu bestie : salvet deus amen.

Dixit et spem revocant : pene desperati
Fovet spem solaminis : dos a deo dati
Iam lesura belua : jam admota rati
Novo marcens obice : percit feritati.

Rugit mox e latere : belue majoris
Plus horrendum corporis : situs senioris
Fit congressus hinc et hinc : hujus et prioris
Sine modo furere : modus est furoris.

Unguibus et dentibus : in vicem ingrati
Alternabant acrius : cum inferre pati
Suntque fluxu sanguinis : fluctus augmentati
Sonitus ut tonitrus : jovis est irati.

Sequens tandem belua : prevalens priori
In tres partes lacerat : jam coactam mori
Sic quieta rediens : finem dat furori
Salvi naute gracias : solvunt salvatori.

In latini texitur : textus exemplari
Hic sortita seriem : serii res clari
Rem a piis rithmice : petor hanc effari
Pie piis obsequi : non est ociari.

Victus inde senior : insulam notavit
Optat eo devehi : ventus votis favit
Eo dum devehitur : multa prophetavit
De loco de populo : quem hic sors locavit.

Illic inquit numerus : noster minuetur
Numerum is minuet : plaudat et letetur
Felix hic felicium : sortem sorcietur
Prodeunt et prospere : portus obtinetur.

Patet liber exitus : locum grex explorat
Loci planam faciem : juge ver honorat
Et ut decus expleam : locum quod decorat
Decus que dedeceat : nulla re laborat.

Loco leto placidí : fructus applausere
Scalte dicti quid sit id : dicant qui novere
Moles multa fructuum : forma quasi sphere
Color nix et purpura : melque sapuere.

Turmas tres hic denotant : primus puerorum
Iuvenum est medius : sequens seniorum
Paucis intersticiis : chorus perit chorum
Cedunt lac nix lilia : forem singulorum.

Gloriosus glorie : cultus sit ut testis
Alba munda bissina : primos vestit vestis
Vestis vos iacinctina : qui primis subestis
Ultimi dalmaticis : nitent ostro textis.

Horis diurnalibus : hora vespertina
Horis noctis celebrant : cantica divina
Alternatim concinunt : vox est hiis latina
Cantus horum terminat : hora matutina.

Nocte nubes insulam : texit totam tota
Lucens sic dum fervidi : solis solet rota
Choris fit latibulum : nubes lux admota
Sonat sic latencium : palam vox devota.

Splendor cum clamoribus : finit facto mane
Ex tunc agnum immolant : gentes insulane
Carne se communicant : tanquam sacro pane
Confitentes fidei : sacra cristiane.

Dehinc duo medium : sunt egressi chorum
Plenus scaltis cophinus : onus est eorum
Cum hiis verbis onerant : navem monachorum
Sumite de fructibus : forcium virorum.

Nostrum nobis reddite : nostri civem chori
Ejus nostra patria : finis est labori
Nota mutet exteris : sed spe meliori
Jubet fratri senior : paret seniori.

Tunc sic senex, felix es : quam sic sors beavit
Felix qui te genuit : felix que lactavit
Nostri memor valeas : vale resignavit
Et dans suis oscula : statum hic firmavit.

Fratres dum hinc navigant : horam circa nonam
Jussu senis proferunt : scaltas ad annonam
Unam senex exprimens : nec hoc extra ponam
Succi hinc elicuit : unam libram bonam.

Dividens per uncias : libram manus senis
Suos omnes reficit : unciis bis senis
Bis sex dies transigunt : scaltis duodenis
Tanquam melle faucibus : incessanter plenis.

Que predicta mansio : qui vel unde chori
Ut quid hic an debitum : sit hic eis mori
Nec sequenti congritum : lego nec priori
Hec ad summam legere : satis sit lectori.

Hec romanus preterit : inserit latinus
Quod vicissim disserunt : dissona plus minus
Certent inde judices : transi nostra pinus
Vehere qua precipit : ille vir divinus.

Currunt hiis miraculis : nanti stupefacti
Terram e vestigio : vident et sunt nacti
Post quietem iterum : inquiete tacti
Opprimit inopia : venti sunt abstracti.

Senex instat monitis : deus suffragatur
Belue pars lacere : prope nans spectatur
Locis in hiis inopes : copia solatur
Lignis foco congruis : aqua que bibatur.

Enatans pars belue : senis ad condictum
Quo tres menses transigant : cedit hiis in victum
Sic egestas transtulit : in fas maledictum
Sic muniti transeunt : novum ad conflictum.

Gripes hos insequitur : res prodigialis
Tectum pennis animal : corporis feralis
Rostro quam sit horridum : unguibus et alis
Expressurus reprimor : ad hoc inequalis.

Jam extentis unguibus : vacet ut rapine
Ut carinam transferat : onus et carine
Mors vicina resilit : opis ni vicine
Draco ratem eruit ; gripem dans ruine.

Draco minor corpore : gripem est aggressus
Sonat aer pulsibus : dirus fit congressus
Fert et infert hic et hic : premens et oppressus
Sed in prelis prevalet : serpens indefessus.

Ictibus fetoribus : morsibus serpentis
Gripes victus periit : mersus in fluentis
Draco victor abiit : pax fit hic detentis
Suos sic solatus est : deus in lamentis.

Dantes deo gloriam : dum feruntur mari
Venerat festivitas : Cephe (*i.e.*, Petri) deo cari
Festum hoc festivius : instant venerari
Senex cunctis alcius : cepit modulari.

Tunc hii moderacius : pater modulare
Speculi perspicui : formam fert hoc mare
Pisces hic perspicimus : promptos inpungnare
Pestem et pestiferos : siste suscitare.

Sunt enormes corpore : truculenti vultus
Siste ne prosiliant : tuos ad tumultus
Sic sic inquit sapere : sapor est incultus
Tumidos non timeo : deo duce fultus.

Tot malorum memores : si res retinetis
Deum hiis non defore : credere debetis
Psallite sonorius : nichil formidetis
Resonant et resonat : circumquaque thetis.

Mira res pestiferi : pisces immo fere
Agnis non immicius : rati se junxere
Celebratis laudibus : quibus applausere
Mites ut accesserant : mites recessere.

Procedentes advene : flamine secundo
En columpnam denotant : sitam in profundo
Contendentem nubibus : equoris de fundo
Equum est si maximum : ei precium do.

Tota vel iacinctina : vel est saphirina
Ornat ejus ambitum : aurea cortina
Hujus oram terminat : facies marina
Senis ad imperium : meat huc carina.

Machine mirabilis : intra velamentum
Ere stat smaragdine : nobile portentum
Sardius sacrarii : struit ornamentum
Lapis calcedonius : totum pavimentum.

Ars que talem machinam : taliter erexit
Ex hac trabes aureas : machina provexit
Berillinas lampades : trabibus impressit
Homo si hec condidit : hominem excessit.

Tridui perspacium : naute substitere
Missas ibi celebrant : gaudent hec stupere
Ad hec senex dija sunt : hic secreta vere
Mora jam non expedit : jussit, abiere.

De divina machina : cultum ad divinum
Senex inde calicem : tulit cristallinum,
Ausum hunc non reputes : rapere corninum
Ausum est hoc licite : deo cor vicinum.

Multa jam multaverat : crux Hybernienses
Multa jam stupuerant : per tam multos menses
Sed hiis succedencia : rite si recenses
Erras succedentibus : ea si compenses.

Inter tot discrimina : tot objectus ire
Angi cursu poterant : non hunc fastidire
Nec proponunt sistere : neque revenire
Donec eis suam spem : sors det reperire.

Vectis inde longius : nox incumbit ipsis
Cum sol nondum occidat : cum non sit eclipsis
Locus hiis oboritur : tanquam de abissis
Locus fedus nebulis : fetidis et spissis.

Fetet magis a longe : mota quam lacuna
Non hic sol irradiat : non dat lumen luna
Reluctantes invehit : sors huc oportuna
Sors est disposicio : dei non fortuna.

Ventus deo preside : vehit eo ratem
Latet quid hic lateat : fratres non abbatem
Fratribus commemorat : precum sanctitatem
Precibus ut muniant : hanc necessitatem.

Signo crucis omnibus : undique munitis
Per hec et hec innuit : quod hic lares ditis
Quod hic lares lateant : turbinis et litis
Ignis fumi frigoris : fletus famis sitis.

Ve ve vita sordida : sortem hanc sortitis
Sortem quam sors exerit : hiis Israelitis
Quam marcescunt anime : locis in ignitis
Ubi finis demetit : metis infinitis.

Quo vehuntur propius : vident plus lamenti
Stridor ibi dencium : luctu cum ingenti
Scintillarum grandines : vermes violenti
Murmur terror tonitrus : comburentes venti.

Ibi nox palpabilis : loca larvis plena
Morte non marcencium : vermium venena
Quibus non est trucior : leo vel leena
Ibi desperacio : pejor omni pena.

Stantes in confinio : tenebrosi montis
Tetrum quemdam denotant : civem acherontis
Hunc emisit puteus : infernalis fontis
Obstet ut insontibus : ira dira sontis.

Turpis ille pestifer : turpior peccatis
Astat minax malleo : gravis quantitatis
Et quos videt cominus : invidet renatis
Concipit et parturit : opus pravitatis.

Resilit et advehit : laminam ardentem
Et advectam proicit : in invisam gentem
Sed delusit lamina : laminam mittentem
Transit hos transiliens : aquam influentem.

Mira lex contrariis : est in elementis
Cedit extinguibili : virtus extinguentis
Ardet contro solitum : ignis in fluentis
Ac si flammam stupeis : foveas fomentis.

Terga vertunt advene : sedibus impuris
Tristes huc respiciunt : moti tot pressuris
Moti tot horroribus : locis tam obscuris
Animarum planctibus : demonum figuris.

Est accesus ilico : totus locus ille
Fuco fedant aerem : fumus et scintille
Ejulant in ignibus : ululantes mille
Ventus nautas provehit : abeunt tranquille.

Mane nautis iterum : locus est offusus
Mire celsitudinis : qualem nescit usus
Primo non dissimilis : turpis et confusus
Tenebris teterrimis : undique perfusus.

Eo dum appropriant : pulsi vi ventorum
Exilit et deperit : unus monachorum
Hec est inquit ulcio : scelerum meorum
Horum mea scelera : causa sunt dolorum.

Seni post hec patuit : quis sit rei finis
Quibus sic predixerat : unus est ex binis
Vidit eum gemere : locis in vicinis,
Predam factam miseram : demonum rapinis.

Cedunt cedit nubilum : loci vident statum
Fundum vident baratri : nusquam terminatum
Cujus liber aditus : hyans os et latum
Ampla nimis mansio : non dans remeatum.

Picem hic cum sulfure ; vident ebullire
Piceas sulfureas : flammas sursum ire
Ad superna tendere : dehinc resilire
Mala plura plurimis : vident hic sevire.

Vident in periculis : modum deperire
Mala non quiescere : finem non subire
Semper cruces premere : semper eque dire
Cum sic verba terreant : quid est hec sentire.

Hinc Brandane transiens : mare dum scrutaris
Signo crucis singulos : armas et armaris
Locum ad hec conspicis : intra sinum maris
Volens quid sit noscere : jubes huc veharis.

Rupes ibi cernitur : rupis supra pinnam
Nudus quidam sorciens ; sortem inconcinnam
Culpam dignis planctibus : prosequens malignam
Culpam indignissimam : omni planctu dignam.

Nudus ibi residet : herens columpnelle
Heret ei firmiter ; fretum ob rebelle
Panno tectis vultibus : hic potatur felle
Felle plus quam felleo : fluctus et procelle.

Fluctibus concutitur : ante juxta retro
Subtus et superius : pulsu marcet tetro
Ut concludam omnia : brevi mensa metro
Credo mallet mortuum : ferri se feretro.

Clamat in angustiis : Ihesu fili dei
Ihesu spes solacii : certe fomes spei
Si non licet dicere : miserere mei
Est vel saltem mihi spes : parve requiei.

Ihesu fili virginis : fomes spei bone
Quo te sponte perditus : insequar sermone
Negas prout merui : digna racione
Me vel frui requie : vel remissione.

Audiens ingemuit : senex ad lamenta
Quo promoto proprius : mota sunt fluenta
Obligat per celica : reum sacramenta
Dicat quis sit ut quid hec : patitur tormenta.

Geni fluxo lacrimis : muto pre dolore
Reus refert talia : voce rauciore
Judas vocor traditor : pejor traditore
Qui peccavi tradito : mundi salvatore.

Ihesum qui denariis : vendidi terrenis
Agno libans oscula : gravida venenis
Cujus ferens loculos : darem ut egenis
Meis magis instititi : lucris immo penis.

Lucri mei gratia : justus est dampnatus
Flagris spinis colaphis : sputis deturpatus
Innocens cum impiis : morti deputatus
Dum forari pertulit : pedes manus latus.

Dolui penitui : sed infausto fato
Pejus penitentia : peccans quam peccato
Fine nunc exterior : nuncquam terminato
Mortis que non moritur : status in grabato.

Sed est hoc preludium : quod hic toleratur
Horror hic pro requie : mihi reputatur
Hic post nonam sabbati : ludus mihi datur
Die cum dominica : semper terminatur.

Festa matris virginis : cum plebs veneratur
Pasce sancti spiritus : festum cum novatur
Et diebus xv. : judas sic jocatur
Quibus natalicium : Christi celebratur.

Demptis hiis temporibus : omne temporale
Nulla cum temperie : mihi fit penale
Penis quibus punior : punior tam male
Ut nil sit penalius : vel nil sit equale

Genex dic preludii : vices post presentes
Quenam tam penalia : vel quo loco temptes
Quamdiu vel qualiter : hec vel hec frequentes
Exprimens expressius : nil ex hoc retentes.

Prope locum inquit hunc : demones sunt siti
Non in loco tamen hoc : visi vel auditi
Lar hiis duplex subjacet : situ cum immiti
Qui non cessat pessimis : pessime reniti.

Lar uterque stigius : minus lar crudelis
Cruciat quos cruciat : tot et tantis prelis
Ut se solos estiment : reprimi querelis
Hos quos is non reprimit : refici medelis.

Soli mihi misero : soli datur scire
In quo plus deseviat : in quo minus ire
Singulos vel hic vel hic : jussus est punire
Cogor preter singulos : hunc et hunc inire.

Agit aer alterum : alter est in ymis
Fetens hic et frigidus : ille calens nimis
Habent mare medium : ymus et sullimis
Mirum quod non uritur : rogis tam opimis.

Nox cum die socia : mittit me superno
Eque sum in infimo : ritu sempiterno
Nullum ad solacium : vices sic alterno
Semper eque miserum : miserum me cerno.

Nox secunde ferie : cum dieta tota
Me notandum elevat : in ignita rota
Ventis volo cicius : rota ventis mota
Volans sum et revolans : requie remota.

Tercie nox ferie : tota cum dieta
Me transmittit inferis : sitis subtus freta
Hic in valle demoror : crucibus repleta
Quibus non est nec erit : modus sine meta.

Locor hic in lectulo : ferro compeditus
Tristes mox experior : requiei ritus
Ex acutis stimulis : culcitrum sortitus
Cum plumbatis rupium : onere contritus.

Stilis hic ut cernitis : totus perforatus
Pice quarta feria : coquor elevatus
Ignibus tunc torreor : posti coarcatus
Totus rubet jugibus : flammis inflammatus.

Tostus sic diucius : igne duplicato
Picis intrans balneum : coquor iterato
Die quarte ferie : nocti sociato
Sum subjectus terminus : tali predicato.

Posset hiis defieri : rigor adamantis
Posset insolubile : flammis solvi tantis
Solvere dum nequiunt : qui me cruciant hiis
Cruciantes cruciat : tenor tolerantis.

Illic pice perlitus : sicdem nunc videtis
Sternor quinta feria : scrobes in secretis
Arctor hic algoribus : et tam indiscretis
Ut si rursus torrerar : vice sit quietis.

Et cum rursus torreror : mallem congelari
Tanquam ad solacium : optans desolari
Sic in votis dissidens : opto sine pari
Supra modum periens : plus periclitari.

De hinc die veneris : elevor a mare
Instant tota desmones : pelle me nudare
Sale cum fuligine : carnem confricare
Et ignitis sudibus : totum oculcare.

Jugiter ut jugibus : penis serviatur
Pellis mihi jugiter : nova reparatur
Una die decies : pellis vellicatur
Et in sale tociens : caro volutatur.

Tunc in cuprum fervidum : fervens plumbum bibo
Sic me vj[a] feria : tartaris delibo
Sic hucusque perii : pereo peribo
Restant adhuc alia : que non preteribo.

Intro die sabbati : locum tenebrarum
Hunc si dicam carcerem : credo dici parum̄
Me, quid locum nominem : faciunt ignarum
Fetor ineffabilis : et par sex umbrarum.

Cupri potu tumidus : obsitus fetore
Virus dum non evomo : nauseantis ore
Volens et non prevalens : tanto sub angore
Mallem rumpi milies : quam hoc angi more.

Cogor die sabbati : sic sabbatizare
Donec centrum teneat : sol in celi lare
Tunc huc mittor crucibus : cruces commutare
Hec et hec et hic et hic : cogor perhennare.

Heri post meridiem : hunc ad ludum veni
Iam ad seram demones : dement me milleni
Si est ut est utique : posse tanto seni
Vel hac nocte deprecor : preces meas leni.

Senex fletu madidus : condolens dolenti
Causas querit lapidis : atque tegumenti
Dudum inquit dederam : tegmen hoc egenti
Munit hic in inferis : nil dat munimenti.

Hic obsistit fluctibus : sed non ibi penis
Agit sic de sumptibus : sumptus alienis
Lapis mihi subsidens : tantis trito trenis
Pons est quem exstruxeram : locis in obscenis.

Patuit periculis : locus plenus ceni
Pontem hoc de lapide : construens subveni
Dixit et prosiliunt : demones milleni
Arrepturi miserum : et minantes seni.

Rapitur protrahitur : obstat fides sancti
Obstat reluctantibus : obstant reluctati
Usque mane parcere : precipit, negant hii
Adjuratos obligat : cedunt adjuranti.

Usque mane sustinent : sed non sine minis
Mine sunt duplicibus : dandum hunc ruinis
Exorzizat senior : hebetantur in hiis
Mane fit abripitur : et hic horum finis.

Nautas inde provehit : ventus oportunus
Deo dant per omnia : graciarum munus
Sed cum sese numerant : deest ex hiis unus
Dubitant an vigeat : an jam fiat funus.

Senex credo celitus : inspiratus de re
Murmur sedat monet hos : sibi precavere
Sequens inquit duos is : cessit ut cessere
Cessit is ut meruit : hii ut meruere.

Ad hec montem denotant : intra sinus ponti
Navem eo dirigunt : applicant se monti
Litus erat arduum : aditus incompti
Senex tamen aditu : subit hunc insonti

Solus huc ingreditur : hinc et hinc explorat
Sumat ut noticiam : rerum quas ignorat
Dumque res incognitas : noscere laborat
Ecce vir quem placidus : habitus colorat.

Mox Brandanum advocans : nominat expresse
Oscula dans precipit : omnes huc adesse
Salutatis assidet : pandens suum esse
Que sors eum fecerit : locis hiis inesse.

Stupent tam affabiles : hominis affatus
Stupent quod ab eo sit : quisquis nominatus
Stupent vehemencius : tegminis ornatus
Nam pro vestis tegmine : pilis est velatus.

Pilis incanuerat : candens instar nivis
Angelum commemora : vultum scire si vis
Rite si perspiciat : gestum viri qui vis
Dici potest angelus : vel celestis civis.

Nautas sic alloquitur : O grex cenobita
Ego dicor ego sum : Paulus heremita
Hic a deo recolo : loca prefinita
Tempus omne transigens : in quietis vita.

Nutu dei nemora : locis hiis mutavi
Nonaginta situs hic : annos consummavi
Deo solo preside : transportatus navi
Navi per se reduce : statum hunc firmavi.

Meis in primordiis : sic sors mihi favit
Annos probe quindecim : lutra hic me favit
Mihi pisces attulit : ligna comportavit
Singulis ebdomadis : vices triplicavit.

Collo que suspenderat : maris purgamenta
Focis meis intulit : arida sarmenta
Sola trium piscuim : largitas optenta
Pustus atque poculi : dedit suplementa.

Me post hoc tricennium : bestia non vidit
Non est plena tedio : mihi non invidit
Sed alendum aliter : deus me providit
In quo fide preditus : nemo frustra fidit.

Dat fons indeficiens : fontis mihi venam
Mire plenitudinis : aquis solis plenam
Sufficit ad pranduim : sufficit ad cenam
Omnem sitis reprimit : atque famis penam.

Nichil hic contrarium : sencio vel specto
Nil offendit animi : quo me cunque flecto
Sic adventum judicis : hylaris expecto
Tunc efflabo spiritum : corpore dejecto.

Carnis solvens debitum : mox . . . . .
Dignum dignus premium : meus sumet labor
Per xx septies : annos hic dilabor
Cursu vite labilis : et tunc consummabor.

Convasarer laticem : senior memento
Cedat ut inopia : copie fluento
Lx (*i.e.,* sexaginta) foveor : annis hoc fomento
Ite moras pellite : date vela vento.

Hinc ad eden transiens : sedem prothoplasti
Quo jam per septennium : cursum destinasti
Sed vos via revehet : prius maris vasti
Ad eum sic obiter : per quem estis pasti.

Previum sequimini : previo parete
Iter vobis prosperum : deus det valete
Eunt, obstat nubilum : itur minus lete
Dies cene domini : dat hunc cursum mete.

Cena loco solito : sic et jus paschale
Sic et sancti spiritus : fit memoriale
Cuique suum solvitur : debitum locale
Totum fit septennium : taliter equale.

Tellus dum hiis avium : moram dat de more
Solvitur obsequium : a procuratore
Pius ille dapifer : sedulo labore
Preparat itineri : que scit opus fore.

Cursum cohors arripit : sequens servientem
Navem intrant pariter : perarant tridentem
Velum vento panditur : pandunt deo mentem
Deo navi preside : petunt orientem.

Xl (*i.e.*, quadraginta) transito : termino dierum
Nil occurrit cursui : discors aut austerum
Et ut nautis patuit : novum per nauclerum
Prope sunt misteria : futurarum rerum.

Incidunt caliginem : cujus fucus tantus
Quantum non commemorat : fabula vel cantus
Decidit hylaritas : oriuntur planctus
Sed solatur omnia : procurator sanctus

Erat ut is docuit : fucus tam invisus
Claustrum quo concluditur : virens paradisus
Ut hunc ortum appetens : fuco sed relisus
Ducat et in devium : huc intrandi nisus.

Digna post solacia : monita post grata
A ductore pervio : conducendis data
Intrant in caliginem : via quedam lata
Per tres dies teritur : quarto terminata.

Densa de caligine : cum prodiret prora
Fulgidis in finibus : finit vie mora
Murus hic apparuit : petens celsiora
Cui si nivem compares : nix est indecora.

Basis mons vicarius : sustinens archana
Totus est mamoreus : aurum sunt montana
Muri tota machina : lenis atque plana
De qua sit materia nescit mens humana.

Procul in campestribus : maris cedit unda
Muri circumstancia : sit ut tota munda
Alas pulsat nubium : muri dos jocunda
Gemmis instar siderum : placide fecunda.

Iaspis hic fantasmatum : viret in terrorem
Ametistus roseum : innovat ruborem
Hic jacinctus duplicem : pandit celi morem
Crisopressi variat : auri dos virorem.

Hic vis dyonisia : bachicum reponis
Hic pantera pugili : vires dans leonis
Hic smaragdus previrens : unquem sequ . . .
Tinniens calcofanus : tricolor sardonis.

Divi calcedonii : corpus hic immite
Dos pedorus dubia : comes margarite
Noctis sol carbunculus : decus trogodite
Hic elyotropia : prolongatrix vite.

Hic albestos ignibus : non premendis pates
Rubet hic corallius : terrens tempestates
Hic saphiri gloria : sacer hic gagates
Pangrus vultu multiplex : et magus achates.

Hic berilli pallidi : viror lente nites
Hic prophetes subditus : lingue celonites
Hic cum sadda nautica : redolens mirrites
Licnis sequax succini : lune silenites.

Hic ideus dactilus : pollici cognatus
Hic peantis scrupulus : gravidate gratus
Purpurans ceruleum : cianea latus
Asterites foris nix : intus stelle status.

Hic enidos effluens : fontis in natura
Pupula belloculus : albens cum obscura
Crisolampsis auri nunc : ignis nunc figura
Latebris optallius : furis fovens jura.

Hic medee media : crocei sudoris
Hic murina soboles : estus et humoris
Terri rapax adamas : cassans vim sculptoris
Par magnetes raptibus : roboris minoris.

Hic pirrites tactui : minax vi flammarum
Hic ethites comodus : nidis aquilarum
Gerathites abigens : impetus muscarum
Pigarea cara res : generi ferarum.

His orytes pelici : spes sterilitatis
Emathites visibus : salus hebetatis
Sanguinem corarius : sistens desperatis
Noncalens gelacia : flammis cumulatis.

Carus hic topazius : reges ornaturus
Felix hic crisolitus : aurum equaturus
Hic cristallum induit : aque color purus
Omni dote gemmea : nitet ille murus.

Hanc nature fabricam : miram hanc structuram
Curans digne pandere : vanam geret curam.
Siquam sequor fovet hic : veri jus scripturam
Posse quod hic potuit : mirum est naturam.

Pretermitto pluria : dici que deceret
Inops tot pre copiis : stilus meus heret
Et si non per previum : nautis hoc pateret
Paradisum situm hic : situs hic doceret.

Nautis hec stupentibus : nondum nactis portum
Dirum et terribile : quiddam est obortum,
Ianue vestibulum : horrens et distortum
Minabatur inhibens : aditum ad ortum.

Hic dracones ructecant : ignium furores
Absque fere furie : feris feriores
Flammeus versatilis : ensis autem fores
Pendulus in aere : cumulant terrores.

Verso pessum cuspide : requiit suspensus
Aeris non modicum : spacium dimensus
Riguit in aere : taliter extensus
Ex quo pomi morsibus : deus est offensus.

Nautis ad hec celitus : tutor est indultus
Tutor adest juvenis : cujus decor multus
Hos ad portum invocat : letos ferens vultus
Fiunt mox ad januam : resides tumultus.

Crux draconum residet : gladius quiescit
Angelus adveniens : gladium compescit
Tutor qui perterritis : obvium se gessit
Salutatis omnibus : previus processit.

Intrant illo previo : locum voluptatis
Locum bonis preditum : et non citra satis
Tigris solo saltibus : aquis aura pratis
Quibus nichil deerat : generositatis.

Ligna fructus decorat : solum sanus situs
Saltus dos venancium : avium garritus
Aquas latex lequidus : lacteus mellitus
Piscium meatibus : satis insignitus.

Aura leni sibilo : tempus novat vernum
Et verum fatear : ver est hic eternum
Hic pratorum gloria : gaudium per ternum
Virens florens redolens : habet jus supernum.

Odor florum fructuum : arborum herbarum
Tago fluctus induens : aurum harenarum
Humi sparsi rutila : sidera gemmarum
Addunt indicibile : jus decialirum.

Non hic asper carduus : rampnus vel urtica
Non infelix lolium : pululans cum spica
Arborum vel olerum : non stirps inimica
Queque sunt hic consona : queque sunt aprica.

Non hic estus ingruit : ymber vel tempestas
Fame siti frigore : sors hic non infestas
Adam nisi rueret : manus per incestas
Esset horum omnium : omnibus potestas.

Eden digne pingere : vanum est conari
Stillas paucas extraho : de tam magno mari
Que quot quanta qualia : constat hic servari
Nemo scit vivencium : vel hoc sciunt rari.

Videns tot delicias : hic deliciari
Dum vult hiis morosius : abbas immorari
Moras rupit juvenis : ille vultus clari
Montem scandens jubet hunc : sibi sociari.

Mons cipressis consitus : libano cognatus
Dum hos situs detinet : stupor subit gratus
Angelorum placidos : spectant comitatus
Melos modulancium : miri modulatus.

Jubilis mirificis : gestus et hympnorum
In adventu jubilant : hospitum novorum
Multitudo maxima : summus decor horum
Hos sortiri socios : esset dos regnorum.

Tunc sic seni juvenis : hec et hec stupenti
Quicquid est ulterius : est in excellenti
Estis ad hoc impares : corpore decenti
Modum nostrum superat : sitis his contenti.

Tecum tuos monachos : reduc reversurus
Caro quod non sustinet : spiritu visurus
Hec te manent gaudia : refer te securus
Hinc es summo judici : letus occursurus.

Ecce quam cupieras : gloriam vidisti
Cor et visum duce me : placido pavisti
Hos asporta lapides : lapides sint isti
Signa tot insignium : quibus astitisti.

Tulit ergo lapides : precii beati
Sustinet hic dapifer : diem sui fati
Ratem duce juvene : repetunt prefati
Orat nautis prospera : benedicit rati.

Juvenis post mutuum : rediit valeto
Currunt ad Hyberniam : naute cursu leto
Nondum trium mensium : termino completo
Ad suorum finium : veniunt aveto.

Suum patris reditus : hilarat conventum
Hylaratur patria : patris ad adventum
Seriatim exerit : quicquid est obtentum
Multis ex hac serie : dans emolumentum.

Complens vite terminum : iste Nazareus
Pius pio transitu : factus est hebreus
Cujus piis meritis : nobis parcat deus
Vigeat et valeat : Alexander meus.

Amen.

NAVIGATIO SANCTI BRENDANI.[1]

[The text of this curious Tract is that published by Jubinal, in 1836, from the MS. 2333, *A. Colbert*, of the 12th century, now preserved in the National Library, Paris. We have collated it, however, with other important MSS., which, for brevity sake, we will designate in the notes by Roman capitals, as follows:—

A—Vatican MS., membr. in 4*to*, *Reginae Xtinae*, No. 481, referred to 12th century in Hardy's "Descriptive Catalogue," vol i., p. 159.

B—Vatican MS. *Palatin*, 217, small 4*to*, referred by Hardy, *ibid.*, to the 9th century.

C—Vellum MS., in fol., in the *Biblioth. Sessoriana*, Rome, No. 114, probably of the 11th century.

D—MS. of Nat. Libr., Paris, No, 3784, in fol., 11th century.

E—MS. of Nat. Libr., Paris, No. 5572, in fol., 11th century.

F—The MS. *Liber Kilkenniensis*, in Marsh's Library, Dublin, 13th century.

G.—MS. in British Mus., Cott. Vespas., A xix., vell., in 4*to*, 12th century.]

CAPUT I.

ST. BRENDAN IS STIMULATED BY THE EXAMPLE OF ST. BARINTHUS TO SEEK THE PROMISED LAND.

SANCTUS Brendanus, filius Finlocha,[2] nepotis Alti de genere Eogeni, e stagnile regione Mimensium[3] ortus fuit. Hic erat vir magne abstinentie et virtutibus clarus, triumque fere millium pater fuit monachorum. Cum autem esset in suo certa-

[1] A. and B. have *Brandanus* throughout the whole Tract; C. has *Brendanus*.

[2] A. Phinlocha nepotis Athill de genere Eogeni, Stagnilen: B. Finlochani nepos Althi: G. as printed by Rees (*Lives*, 253), has *filius Tinloch*, *nepos Alti*, *de genere Cogeni Straguile regione Numensium*. Probably the many errors of this last corrupt text had their origin in a misreading of the Irish letters.

[3] A. Munensium.

mine, in loco qui dicitur *Saltus virtutum*,[4] contigit ut quidam patrum ad illum quodam vespere venisset, nomine Barintus,[5] nepos Neil[6] regis; cumque interrogaretur multis sermonibus a predicto patre, cepit lacrymari et se prosternere in terram, et diutius permanere in oracionibus;[7] sed sanctus Brendanus erexit illum de terra, et osculatus est illum, dicens: "Pater, cur tristiciam habemus in adventu tuo? Nonne ad consolacionem nostram venisti? Magis leticiam tu debes fratribus parare.[8] Propter Deum[9] indica nobis verbum Dei, atque refice animas nostras de diversis miraculis quae vidisti in Oceano."[10] Tunc sanctus Barintus, expletis his sermonibus, cepit narrare de quadam insula, dicens:—"Filiolus[11] meus Mernoc[12] nomine, procurator pauperum Christi, confugit[13] a facie mea, et voluit esse solitarius, invenitque insulam juxta montem lapidis[14] valde deliciosam. Post multum vero temporis, nunciatum est mihi quod plures monachos secum haberet, et multa mirabilia per illum ostenderet Deus. Itaque perrexi illuc ut visitarem filiolum meum; cumque appropinquassem iter[15] trium dierum, in occursum meum venit[16] cum fratribus suis. Revelaverat enim Deus illi adventum meum; navigantibus enim[17] nobis in predictam insulam[18] processerunt obviam sicut examen apum, ex diversis cellulis suis. Erat enim habitacio eorum sparsa. Tamen unanimiter illorum conversacio in spe, fide et charitate fundata erat. Una refectio, ad opus Dei perficiendum una

[4] A. B. and G. saltus virtutum Brendani: C. and F. saltus virtutis Brendani.
[5] A. Barindus: B. Barrindus: C. Barinthus: G. Barurchus.
[6] B. and C. nepos illius: F. cognatus ejus.
[7] A. and B. oratione.
[8] C. preparare.
[9] A. B. and C. omit *Propter Deum*, and read *Ideo*.
[10] F. adds: ille enim sanctus senior Barinthus tunc navigio de oceano venit.
[11] C. filius.
[12] A. and B. Mernhoc: C. Mernhoc vocatus: F. Mernocatus.
[13] A. and B. fugit olim.
[14] B. lapisidis nomine deliciosam: D. and E. lapidis nomine deliciosam: F. lapislis, nomine insulam deliciosam.
[15] A. B. and C. per iter.
[16] A. and B. festinavit: C. infestinavit.
[17] A. and B. autem.
[18] A. and B. add: *quae vocabatur deliciosa*.

ecclesia est.[19] Nichil aliud cibi ministrabatur illis, nisi poma et nuces atque radices, et cetera genera herbarum. Fratres, post completorium, in singulis cellulis[20] usque ad gallorum cantus seu campane pulsum pernoctabant. Dum autem ego et filiolus meus perambularemus[21] totam insulam, duxit ipse me ad littus maris contra occidentem, ubi erat navicula pusilla et dixit michi:—'Pater ascende navem et navigemus contra orientalem plagam, ad insulam que dicitur *terra repromissionis sanctorum*, quam Deus daturus est successoribus nostris in novissimo tempore.' Ascendentibus igitur navim nobis et navigare incipientibus,[22] nebulae cooperuerunt nos undique in tantum ut vix possemus puppim aut proram navis videre. Transacto quasi unius horae spatio, circumfulsit nos lux ingens, et apparuit terra spatiosa et herbosa, pomiferaque valde. Cumque stetisset navis ad terram, descendimus nos et cepimus nos circumire et ambulare illam insulam per quindecim dies et non potuimus finem illius invenire. Nichil igitur herbae vidimus sine flore et arborum sine fructu: lapides enim ipsius omnes precioso genere[23] sunt. Porro, quinto decimo die, invenimus fluvium vergentem ad orientalem plagam ab occasu;[24] cumque consideraremus hec omnia, dubium nobis erat quid agere deberemus. Placuit itaque nobis transire flumen, sed expectavimus Dei consilium. Cum hec exposuissemus inter nos, subito apparuit nobis quidam vir cum magno splendore coram nobis, qui statim propriis nominibus nos appellavit atque salutavit, dicens: 'Euge, boni fratres; Dominus enim revelavit vobis istam terram quam daturus est sanctis suis. Est enim medietas insulae istius usque ad istud flumen; vobis autem non licet transire. Revertimini ergo unde venistis.'[25] Cum hec dixisset, interrogavimus[26] eum unde

[19] B. opus Dei una in Ecclesia perficientes.
[20] A. in suas singulas cellulas pergebant.
[21] A. and B. Pernoctantibus autem nobis et perambulantibus.
[22] A. et navigantibus.
[23] A. B. D. and E. praetiosi generis.
[24] A. and B. ab orientali parte ad occasum.
[25] A. and B. existis.
[26] A. and B. interrogavi.

esset, aut quo nomine vocaretur. Qui dixit michi: 'Cur interrogas unde sim, aut quo nomine vocer? Cur non pocius interrogas de ista insula? Nam sicut vides illam modo, ita ab initio mundi permanet. Ergo indiges aliquid cibi, aut potus?[27] Numquid fuisti oppressus somno, aut nox te cooperuit? Ergo certissime scias: dies est semper sine ulla cecitate vel caligine tenebrarum hic. Dominus enim noster Jesus Christus lux ipsius est, et nisi homines contra Dei preceptum egissent, in hac terrae amenitate permansissent.' Quod nos audientes, in lacrimis conversi sumus, qui postquam quievimus, confestim inchoavimus iter; et ille vir predictus nobiscum venit usque ad littus ubi erat navicula nostra. Nobis autem navim ascendentibus, raptus est vir ille ab oculis nostris et venimus nos ad predictam caliginem, ad insulam delitiosam. At ubi viderunt nos fratres, exultabant exultacione magna de adventu nostro, et plorabant de absentia nostra, multo tempore, dicentes: 'Cur, patres, dimisistis oves vestras sine pastore in ista silva errantes? Novimus autem abbatem nostrum frequenter a nobis discedere in aliquam partem,[28] et ibidem demorari aliquando unum mensem aliquando duas ebdomadas aut unam, sive plus minusve.' Cum hec audissem, cepi illos confortare dicens: 'Nolite, fratres, putare aliquid nisi bonum. Vestra conversacio procul dubio est ante portam paradisi. Hic, prope est insula que vocatur *terra repromissionis sanctorum*, ubi nec nox imminet, nec dies finitur, illamque frequentat abbas Mernoc; angeli enim Dei custodiunt illam. Nonne cognoscitis in odore vestimentorum nostrorum quod in paradiso Dei fuimus?' Tunc responderunt fratres, dicentes: 'Abba, novimus quia fuistis in paradiso Dei;[29] nam soepe per fragrantiam vestimentorum abbatis nostri probavimus quod pene usque ad quadraginta dies nares nostre

[27] A. and B. add: *sive vestimenti. Unum enim annum es in hac insula et non gustasti de cibo aut de potu.*

[28] A. D. and E. add: *sed nescimus in quam:* F. sed nescimus quo vadit.

[29] A. adds: *et spatium maris ibi est, sed ipsum Paradisum ignoramus:* D. sed spatium maris ubi est ille Paradisus ignoramus.

tenebantur odore.' Quibus ergo dixi: 'Illic ego mansi duas ebdomadas cum filiolo meo, sine cibo et potu. In tantum enim sacietatem corporalem[30] habuimus, ut ab aliis videremur repleti multo.[31] Post quadraginta vero dies, accepta benedictione fratrum et abbatis, reversus sum cum sociis meis ut redirem ad cellulam meam ad quam iturus sum cras." Hiis auditis, sanctus Brendanus cum omni congregacione sua prostravit se ad terram glorificantes Deum atque dicentes: "Justus est Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis, qui revelavit suis tanta et talia mirabilia, et benedictus in donis suis qui hodie nos refecit spirituali gustu."[32] Hiis finitis sermonibus, ait sanctus Brendanus: "Eamus ad refectionem corporis et ad mandatum novum." Transacta autem illa nocte, et accepta benedictione fratrum, ad cellulam suam sanctus reversus est Barintus.

CAPUT II.

ST. BRENDAN AND HIS COMPANIONS SET SAIL IN SEARCH OF PARADISE.

IGITUR sanctus Brendanus de omni congregacione sua elegit bis septem fratres, inter[33] [a]quos fuit preclarissimus ac Deodignus, adolescens Macutus, qui a Deo ab infantia sua est electus, et usque ad finem vitae suae permansit in Dei laudibus. Quod si quis nosse voluerit, perlegens ejus venerabilia gesta inveniet ejus opera prima et novissima quae preclara habentur. Hiis assumptis, venerabilis pater Brendanus[b] conclusit se in uno oratorio cum illis, et locutus est ad eos, dicens: "Combellatores mei amantissimi, consilium et adjutorium a vobis pos-

[30] A. de satietate carnali.
[31] A. and B. quasi musto repleti.
[32] A. de tali gustu spirituali ac potu.
[33] The MSS., with the exception of the Colbert MS. and G., omit the words from [a] to [b].

tulo, quia cor meum et cogitaciones meae conglutinatae sunt in unam voluntatem ; tantum si voluntas Dei est, terram, de qua locutus est pater Barintus, repromissionis sanctorum, in corde meo proposui querere. Quid vobis videtur, aut quod consilium mihi vultis dare?" Illi vero, agnita sancti patris voluntate, quasi uno ore dicunt omnes: "Abba, voluntas tua ipsa est et nostra. Nonne parentes nostros dimisimus? Nonne hereditatem nostram despeximus? Nonne corpora nostra in manus tuas tradidimus? Itaque parati sumus sive ad mortem, sive ad vitam tecum ire. Unum tantum est ut queramus Domini voluntatem." Definivit ergo sanctus Brendanus et hii qui cum illo erant jejunium quadraginta dierum semper per triduanas agere, et postea proficisci. Transactis jam quadraginta diebus, et salutatis fratribus ac commendatis Preposito monasterii sui, qui fuit postea successor in eodem loco, profectus est contra occidentalem plagam cum quatuordecim fratribus ad insulam cujusdam sancti patris nomine *Aende.* Ibi demoratus est tribus diebus et tribus noctibus. Post hec, accepta benedictione sancti patris et omnium monachorum qui cum eo erant, profectus est in ultimam partem regionis suae, ubi demorabantur parentes ejus. Attamen noluit illos videre, sed cujusdam summitatem montis extendentis se[34] in Oceanum, in loco qui dicitur *Brendani sedes*, ascendit, ibique fuit[35] tentorium suum, ubi erat et introitus unius navis. Sanctus Brendanus et qui cum eo erant, acceptis ferramentis, fecerunt naviculam levissimam, costatam et columnatam ex vimine,[36] sicut mos est in illis partibus, et cooperuerunt eam coriis bovinis ac rubricatis in cortice roborina, linieruntque foris[37] omnes juncturas navis,[38] et expendia quadraginta dierum et butirum ad pelles preparandas assumpserunt ad cooperimentum navis, et cetera uten-

[34] A. and B. add *longe.*
[35] A. and B. fixit.
[36] A. and C. columpnatam ex silva : B. levissime costatam ex ilice.
[37] B. eam forinsecus.
[38] A. B. and C. *pellium ex butiro, et miserunt duas alias paraturas navis de aliis coriis intus in navim et* expendia, &c.: D. and E. give only the first words : pellium ex butiro.

silia que ad usum vite humane pertinent.[39] Tunc sanctus Brendanus precepit in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti navem intrare, cumque ille solus stetisset in littore, et benedixisset portum, ecce tres fratres supervenerunt de suo monasterio post illum, qui statim ceciderunt ante pedes ejus, dicentes: "Pater carissime, dimitte nos tecum ire in Christi caritate quo iturus es, alioquin moriemur in isto loco fame et siti. Decrevimus enim peregrinari tecum omnibus diebus vite nostre." Cumque vir Dei vidisset illorum angustiam, precepit illis intrare navem, dicens: "Fiat voluntas vestra,[40] filioli;" addiditque: "Scio quomodo vos venistis. Iste frater bonum opus operatus est; nam Deus preparavit sibi aptissimum locum; vobis autem preparavit detrimentum[41] et judicium."

Ascendit autem sanctus Brendanus in navem, et extensis velis ceperunt navigare contra solsticium estivale.[42] Habebant autem prosperum ventum, nichilque eis opus fuit navigare, nisi tantum vela tenere; post duodecim vero dies cessavit ventus, et ceperunt navigare usque dum vires eorum deficerent. Tunc sanctus Brendanus cepit illos confortare atque admonere, dicens: "Fratres, nolite formidare; deus enim noster nobis adjutor est, nauta[43] et gubernator.[44] Mittite intus omnes remiges et gubernacula;[45] tantum dimittite vela extensa, et faciat Deus sicut vult de servis suis et de navi sua." Reficiebant autem semper ad vesperam, et aliquando ventum habebant. Tamen ignorabant ex qua parte veniebat, aut in quam partem ferebatur navis.

[39] A. B. C. D. and E. add: *Arborem posuerunt in medio navis fixum et velum et caetera quae ad gubernationem navis pertinent.*

[40] C. Dei.

[41] A. and B. deterrimum judicium: C. teterrimum.

[42] A. valde: B. aestus: C. estuale.

[43] B. navigator.

[44] A. B. and C. add: *atque gubernat.*

[45] A. and B. gubernamina.

CAPUT III.

THEIR FIRST DISCOVERY OF LAND.

CONSUMMATIS autem jam quadraginta diebus, et omnibus dispendiis que ad victum pertinebant, consumptis, apparuit eis quedam insula ex parte septentrionali, valde saxosa et alta. Cum autem appropinquassent ad litus, viderunt ripam altissimam sicut murum, et diversos rivulos descendentes de summitate insule, fluentes in mare. Tamen minime potuerunt invenire portum ubi staret navis. Fratres vero vexati erant valde fame et siti; singuli vero acceperunt vasa ut aliquid de aqua possent sumere. Sanctus autem Brendanus hec cum vidisset, dixit: "Nolite hoc facere, fratres; stultum est enim quod agitis, quando Deus non vult nobis ostendere portum intrandi et vultis facere rapinam; dominus enim Jhesus Christus post tres dies ostendet servis suis portum et locum manendi, ut reficiantur corpora vexatorum."[46] Cum autem circuirent per tres dies illam insulam, tercia die, circa horam nonam, invenerunt portum ubi erat aditus unius navis, et statim sanctus Brendanus surrexit et benedixit introitum. Erat namque petra incisa ex utraque parte mirae altitudinis, sicut murus; cum vero ascendissent omnes de navi et stetissent in terra, precepit sanctus Brendanus ut nichil de supellectili tollerent de navi. Porro ambulantibus illis per ripam maris, occurrit eis canis per quamdam semitam, et venit ad pedes sancti Brendani, sicut solent canes venire ad pedes dominorum suorum. Tunc sanctus Brendanus dixit fratribus suis: "Nonne bonum nuntium donavit vobis[47] Deus? Sequimini eum." Et secuti sunt fratres canem illum usque ad unum oppidum.

Intrantes autem oppidum viderunt aulam magnam ac stra-

[46] A. vexandorum.
[47] A. B. and C. nobis.

tam lectulis et sedibus, aquamque ad pedes lavandos. Cum autem resedissent precepit sanctus Brendanus sociis[48] suis, dicens: "Cavete, fratres, ne Sathanas perducat vos in temptacionem. Video enim illum suadentem uni ex tribus fratribus nostris, qui post nos venerunt de nostro monasterio, de furto pessimo. Orate pro anima ejus, nam caro tradita est in potestatem Sathanae."[49] Illa autem domus, in quà residebant, erat quasi[50] per parietes in circuitu de appendentibus vasculis diversi generis metalli, frenisque et cornibus circumdatis[51] argento. Tunc sanctus Brendanus dixit ministro suo, qui solebat panem apponere fratribus: "Fer prandium, quod nobis misit Deus." Qui statim surgens invenit mensam positam et linteamina et panes singulos miri candoris et pisces. Cumque oblata[52] fuissent omnia, benedixit sanctus Brendanus prandium et fratres, et dixit: "Qui dat escam omni carni, confitemini Deo celi." Residebant[53] igitur fratres et magnificabant Dominum. Similiter et potum quantum volebant sumebant.[54] Finita autem cena, et opere Dei finito, dixit predictus vir: "Requiescite; ecce singuli lecti bene strati.[55] Opus est nobis[56] ut repausentur membra nostra fessa labore nimio navig nostri." Cum autem fratres obdormissent, vidit sanctus Brendanus opus diaboli, id est infantem Ethiopem habentem frenum[57] in manu, et vocantem[58] predictum fratrem. Sanctus autem Brendanus statim surrexit et cepit orare pernoctans[59] usque ad diem. Mane vero jam facto, cum fratres ad opus Dei festinassent et post hoc iterum iter agere vellent ad navem, ecce apparuit mensa parata sicut et pridie; ita et per tres dies et per tres

[48] A. and B. fratribus.
[49] B. diaboli.
[50] A. B. and C. add: *inserta.*
[51] B. adds *auro et.*
[52] A. B. and C. allata.
[53] A. B. and C. reficiebant.
[54] A. B. and C. inveniebant.
[55] A. and B. singula lectula et bene strata.
[56] A. and B. vobis . . . vestra, &c.
[57] A. adds: *argenteum.*
[58] A. and B. jocantem ante.
[59] A. totam noctem.

noctes preparavit Deus prandium servis suis. Post hec sanctus Brendanus cum sociis suis cepit iter agere et fratribus dicere: "Videte ne aliquis ex vobis aliquid de substantia istius insule tollat secum." At illi omnes responderunt: "Absit, pater, ut aliquis[60] iter nostrum furto violet." Tunc sanctus Brendanus ait: "Ecce frater noster quem predixi vobis heri habet frenum argenteum in sinu suo, quod hac nocte dedit ei diabolus." Cum hec audisset predictus frater, jactavit frenum de sinu suo, et cecidit ante pedes sancti viri, dicens: "Pater, peccavi; ignosce et ora pro anima mea, ne pereat." Tunc prostraverunt se ad terram deprecantes Dominum pro anima fratris. Levantes autem se fratres a terra, elevatoque fratre a predicto patre sancto, ecce viderunt Ethiopem exire[61] parvulum de sinu illius, ululantem voce magna et dicentem: "Cur me, vir Dei, pellis[62] de mea habitacione in qua habitavi septem annis, et facis me alienari ab hereditate mea?" Ad hanc vocem sanctus Brendanus dixit: "Praecipio tibi in nomine Domini Jhesu Christi, nullum hominem laedas usque in diem judicii;" Et conversus ad fratrem, dixit: "Sume, inquit, corpus et sanguinem Domini, quia anima tua modo egredietur de corpore, et hic habebis locum sepulturae. Frater autem tuus, qui tecum venit de monasterio in inferno habebit[63] locum sepulture." Itaque accepta Eucharistia, anima fratris egressa est de corpore et suscepta est ab Angelis lucis, videntibus fratribus. Corpus vero ejus conditum est in eodem loco. Igitur fratres cum sancto Brendano venerunt ad litus ejusdem insulae ubi navis erat. Ascendentibus autem illis in navim, occurrit eis juvenis portans cophinum plenum panibus et amphoram aquae plenam, qui dixit eis: "Sumite benedictionem de manu servi vestri. Restat enim vobis longum iter, donec inveniatis consolacionem. Tamen non deficiet vobis panis neque aqua

[60] A. and B. aliquid furti violet nostrum iter.
[61] A. and B. salire.
[62] A. and B. jactas.
[63] A. and B. habet.

ab isto die usque in Pentecostem."[64] Accepta autem fratres benedictione, ceperunt navigare in Oceanum, semperque biduanis[65] reficiebant. Et ita per diversa loca oceani ferebatur navis. Quadam vero die viderunt insulam non longe, et cum ceperunt navigare ad illam, subvenit illis prosper ventus,[66] ut non laborarent ultra vires.

CAPUT IV.

THEY VISIT SHEEP-ISLAND AND CELEBRATE THE EASTER FESTIVAL.

CUM autem navis stetisset in portu, precepit vir Dei omnes exire de navi. Ipse autem post omnes egressus est. Circumeuntes insulam viderunt aquas largissimas manare ex diversis fontibus telluris plenas omnibus piscibus. Dixitque sanctus Brendanus fratribus: "Faciamus hic opus divinum, et sacrificemus Deo agnum[67] immaculatum; quia hodie cena Domini est." Et ibi manserunt usque in sabbatum sanctum Paschae.[68] Invenerunt etiam ibi multos greges ovium unius coloris, id est albi, ita ut non possent terram videre pre multitudine ovium. Convocatis autem fratribus, vir sanctus dixit ies: "Accipite quae sunt necessaria ad diem festum de grege." Illi[69] autem acceperunt unam ovem et cum illam ligassent per cornua, sequebatur quasi domestica,[70] sequens illorum vestigia. At ille: "Accipite, inquit, unum agnum immaculatum." Qui cum viri Dei mandata complessent, paraverunt omnia ad

[64] A. B. and E. Pascha.
[65] A. per biduanas: B. per triduanas.
[66] D. adds: *in adjutorium.*
[67] A. immaculatam hostiam: B. immaculatum holocaustum.
[68] A. B. and D. add: *Perambulantes autem insulam.*
[69] A. and B. add: *fratres vero festinabant secundum mandatum viri Dei ad gregem et.*
[70] A. and B. add: *usque ad locum ubi stetit vir Dei:* and omit the following words of the sentence.

opus diei crastinae. Et ecce apparuit illis vir portans plenam sportellam[71] panibus succineriis et alia necessaria victui. Cum hec posuisset ante virum Dei, cecidit pronus[72] ante faciem suam tribus vicibus, ad pedes sancti patris, dicens cum lacrimis: "Unde hoc meis meritis,[73] o margarita Dei, ut pascaris in istis sanctis diebus de labore manuum mearum?" Tunc sanctus Brendanus, elevato eo de terra, et dato ei osculo, dixit: "Fili, Dominus noster Jhesus Christus providit nobis locum ubi possimus celebrare suam sanctam resurrectionem."[74] Cum hec dixisset, cepit obsequium famulorum Dei facere, et omnia que necessaria erant in crastinum preparare.[75] Allatis autem ad navim copiis, dixit vir ad sanctum Brendanum: "Vestra navicula non potest amplius portare: ego autem vobis transmittam post octo dies, quae necessaria erunt cibi et potus usque in Pentecostem." Cui vir Dei dixit: "Unde nosti in fide tua ubi nos erimus post octo dies?" Cui ait: "Hac nocte eritis in illa insula quam videtis prope, et cras usque in horam sextam. Postea navigabitis usque ad illam insulam, que est non longe ab ista contra occidentalem plagam que vocatur, *Paradisus avium.* Ibique manebitis usque ad octabas Pentecostes." Interrogabat quoque sanctus Brendanus illum quo modo potuissent oves tam magnae esse sicut sunt[76] ibi; erant enim majores quam boves. Cui ille dixit: "Nemo colligit lac de ovibus in hac insula, nec illas constringit[77] hyems, sed in pascuis semper commorantur,[78] et ideo majores sunt hic, quam in vestris regionibus." Profectique sunt ad navem, et coeperunt navigare data vicissim benedictione. Cum autem appropinquassent ad illam[79] insulam stetit navis, antequam

[71] A. and B. sportam.
[72] A. and B. protinus.
[73] A. mihi meriti: B. mihi inmerito.
[74] A. B. D. and E. add: *Tunc ait praedictus vir: Pater hic celebrabitis Sabbatum Sanctum. Vigilias sanctas et Missas cras in illa insula quam vos videtis proposuit vobis Deus celebrare suae resurrectionis diem.*
[75] A. and B. add: *Finitis omnibus et.*
[76] B. and E. add: *visae.*
[77] A. distinguit: B. disjungit.
[78] E. adds: *die nocteque.*
[79] A. and B. aliam.

portum illius potuissent obtinere. Sanctus autem vir precepit fratribus in mare[80] descendere, et tenere navem ex utraque parte cum funibus, donec ad portum veniret, erat enim illa insula sine herba. Silva rara erat ibi, et in litore illius nichil harenae residebat. Porro fratribus in oracionibus[81] deforis pernoctantibus, vir sanctus solus remanserat intus; sciebat enim qualis erat insula, sed noluit indicare fratribus ne terreri[82] pocius potuissent; mane autem facto, precepit sacerdotibus ut singuli missas celebrarent, et ita fecerunt, cumque beatus Brendanus et ipse cantasset in navi, exportaverunt carnes crudas fratres[83] de navi ut comederent illas sale, et pisces quos secum tulerant de alia insula, posueruntque cacabum super ignem; cum autem ministrassent ligna igni,[84] et fervere cepisset cacabus, cepit illa insula se movere sicut unda. Fratres vero cucurrerunt ad navem, implorantes patrocinium patris sui. Pater autem singulos illos per manus intus in navem traxit, relictisque omnibus delatis in insula illa, navim solverunt ut abirent. Porro eadem insula mersit se[85] in Oceanum. Jamque potuerant ignem ardentem ultra duo videre miliaria, et sanctus Brendanus ita fratribus cepit exponere quid hoc esset: "Fratres, miramini quid hec fecit insula?" Aiunt: "Admiramur, pater, valde, et ingens pavor penetravit nos." Qui dixit ad illos: "Filioli, nolite expavescere; Deus enim revelavit michi hac nocte sacramentum hujus rei. Insula non est ubi fuimus, sed piscis omnium prior natancium in Oceano, et querit semper ut suam caudam jungat capiti suo; sed non potest prae longitudine. Hic habet nomen Jasconius." Cum autem navigarent juxta insulam ubi per triduum fuerant antea, et venissent ad summitatem illius, contra Occidentem viderunt aliam insulam prope[86] junctam, interveniente freto non magno, herbosam valde et nemorosam et plenam floribus. Ceperuntque tendere[87] ad portum insulae.

80 A. and B. exire de navi (B. intus) in mare. 81 A. and B. add: *et vigiliis.*
82 A. and B. territi fierent. 83 A. and B. foras.
84 A. posuissent lignum in ignem: B. ministrassent lignis ignem.
85 A. and B. ferebatur. 86 A. and B. add: *sibi.*
87 A. and B. quaerere portum per circuitum insulae.

CAPUT V.

THE PARADISE OF BIRDS.

SED navigantes contra meridianam plagam ejusdem insulae, invenerunt rivulum vergentem in mare, ubi naviculam terrae applicuerunt. Exeuntibus autem fratribus de navi, jussit vir sanctus ut ipsam navem contra alveum fluminis funibus traherent. Erat autem tantae latitudinis flumen quantae erat navis. Traxerunt ergo navem unius spacio miliarii, donec ad fontem venirent ejusdem fluminis, sancto viro intus sedente. Considerans autem sanctus pater, dixit: "Ecce, fratres, Dominus dedit nobis locum aptum in sua sancta resurrectione manendi:" et addidit: "Si non haberemus alia stipendia, sufficeret nobis, ut credo, ad victum et potum fons iste." Erat enim fons admirabilis nimis. Super ipsum fontem autem erat arbor ingens, mirae latitudinis, [88]sed non[89] magnae altitudinis, cooperta avibus candidissimis, in tantum ut rami ejus et folia minime viderentur. Cumque hec vidisset vir Dei, cepit intra se cogitare quidnam esset aut quid cause foret, quod tanta avium multitudo in unam possit esse collectionem. Que res tantum viro Dei tedium genuit, ut etiam lacrimas fundendo genibus provolutus Dominum precaretur, dicens: "Deus, cognitor incognitorum et absconditorum[90] revelator, tu scis angustiam cordis mei; ideo precor[91] te, ut michi peccatori digneris per tuam magnam misericordiam, revelare tuum secretum, quod modo pre oculis meis video. Non hoc autem dignitatis proprie merito, set tue clemencie respectu presumo." Hiis dictis, ecce una ex illis avibus volavit de arbore. Sonabant autem ale ejus sicut tin-

[88] A. and B. add: *in girum.*
[89] A. non minus: B. non minoris.
[90] A. and B. et revelator absconditorum omnium.
[91] A. and B. deprecor tuam majestatem.

tinabula contra navem ubi vir Dei sedebat. Que cum sedisset in summitate prore, cepit alas extendere in signum leticie, et placido vultu aspicere sanctum patrem Brendanum. Tunc vir Dei intelligens[92] quia Deus recordatus esset ejus deprecationem, ait ad avem: "Si nuncius Dei es, narra mihi unde sint aves iste, aut pro qua re illarum collectio hic sit." Que statim ait: "Nos sumus de magna illa ruina antiqui hostis; set non peccando aut consentiendo sumus lapsi; set[93] ubi sumus creati, per lapsum istius cum suis satellitibus contigit nostra ruina. Deus autem omnipotens, qui justus est et verax, suo judicio misit nos in istum locum. Penas non sustinemus. Presentiam Dei ex parte nos videre possumus, tantum alienavit nos a consorcio illorum, qui steterunt. Vagamur per diversas partes hujus seculi, aeris et firmamenti et terrarum sicut et alii spiritus qui mittuntur. Set in sanctis diebus dominicis,[94] accipimus corpora talia que tu vides, et per Dei dispensacionem commoramur hic et laudamus creatorem nostrum. Tu autem cum fratribus tuis habes unum annum in itinere, et adhuc restant sex. Et ubi hodie celebrastis Pascha, ibi omni anno celebrabitis, et postea invenies que preposuisti in corde tuo, id est terram repromissionis sanctorum." Et cum hoc dixisset, levavit se de prora illa avis, et ad alias reversa est. Cum autem vespertina hora appropinquasset, ceperunt omnes quasi una voce cantare percucientes latera, atque dicentes: "Te decet hymnus Deus in Syon, et tibi reddetur votum in Jherusalem." Et semper reciprocabant predictum versiculum quasi per spacium unius hore, et audiebatur illa modulacio et sonus alarum, quasi carmen cantus pre suavitate. Tunc sanctus Brendanus ait fratribus suis: "Reficite corpora vestra, quia hodie animas vestras

[92] A. and B. Tunc agnovit vir Dei quia Deus recordatus esset deprecationis ejus et, &c.

[93] The M.S. 2,333, *A. Colbert*, Paris, here inserts the words, *Dei pietate praedestinati, nam,* which destroy the meaning of the sentence.

[94] A. and B. in his diebus atque Dominicis.

divina resurrectione[95] Dominus saciavit." Finita autem cena,[96] pactoque opere divino, vir Dei et qui cum illo erant dederunt corpora quieti, usque ad terciam noctis vigiliam. Evigilans vero vir Dei suscitavit fratres ad vigilias noctis, sancte incipiens illum versiculum: "*Domine, labia mea aperies.*"[97] Finita autem viri Dei sentencia,[98] omnes alie aves alis et ore sonabant dicentes: "*Laudate Dominum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes Virtutes ejus.*" Similiter ad vesperam per spacium unius hore semper cantabant; cum autem aurora refulsisset, ceperunt cantare, "*et sit splendor Domini Dei nostri super nos*" equali modulacione et longitudine psallendi sicut in matutinis laudibus. Similiter ad terciam horam versiculum istum: "*Psallite Deo nostro, psallite, psallite regi nostro, psallite sapienter.*" Ad sextam: "*Illuminavit*[99] *Dominus vultum suum super nos, et misereatur nostri.*" Ad nonam autem psallebant: "*Ecce quam bonum et quam jocundum habitare fratres in unum.*" Ita die et nocte ille aves reddebant laudes Deo. Igitur hec videns sanctus Brendanus, gracias referebat Deo super omnibus mirabilibus suis, et usque in octavum diem festivitatis paschalis reficiebantur fratres cibo spirituali.

Consummatis itaque diebus festis, dixit sanctus Brendanus: "Accipiamus de isto fonte stipendia; usque modo non fuit nobis opus, nisi ad manus vel ad pedes abluendos." Hiis dictis, ecce predictus vir cum quo fuerunt triduo ante Pascha, qui tribuit illis alimenta pascalia, venit ad illos cum sua navi victu atque potu referta. Allatis itaque omnibus de navi coram sancto patre, loquutus est ad illos vir Dei dicens: "Viri fratres, ecce habetis sufficientia usque ad sanctam Pentecostem; set nolite bibere de hac fonte, fortis namque est ad bibendum. Natura enim illius est talis: quisquis bibit ex eo,

[95] A. and B. animae nostrae divina revelatione satiatae sunt.
[96] A. and B. finita antem cena, ceperunt opus Dei peragere. His omnibus finitis vir Dei, &c.
[97] B. adds "Et os meum annuntiabit laudem tuam."
[98] A. and B. sancta oratione.
[99] A. and B. Illumina Domine vultum tuum super nos et miserere nostri.

statim super eum sopor est, et non vigilat donec compleantur vinginti quatuor hore. Dum autem a fonte manat foras, habet saporem aque et naturam." Post hec verba, accepta benedictione sancti patris, reversus est in locum suum. Sanctus Brendanus mansit in eodem loco cum fratribus suis usque. in Pentecostem.[100] Erat enim refocillacio illorum avium cantus. Die vero Pentecostes, cum sanctus vir Brendanus cum fratribus missam celebrasset, venerabilis procurator eorum advenit portans omnia que ad opus diei festi erant necessaria. Cum autem simul discumberent ad prandium, loqutus est ad illos vir idem, dicens: "Fratres, restat vobis magnum iter. Accipite de isto fonte vestra vascula plena, et panes siccos, quos possitis servare in alium annum; et ego vobis tribuam quantum vestra navis portare potest." Cum autem hec perfinita essent, accepta benedictione, reversus est. Sanctus itaque Brendanus post octo dies fecit onerare navem de omnibus que sibi tribuit predictus vir, et de illo fonte omnia vascula implere fecit. Ductis itaque omnibus ad litus, ecce predicta avis venit et in prora navis consedit. At vero vir sanctus quia aliquid sibi vellet indicare cognoscens substitit. Illa autem assumpta humana voce: "Nobiscum, inquit, celebrastis diem sanctum Pasche isto anno. Celebrabitis nobiscum ipsum diem et in futuro anno. Et ubi fuistis in anno preterito in cena Domini, ibi eritis in anno venturo in predicta die. Similiter noctem Domini cam Pasche celebrabitis ubi prius celebrastis super dorsum scilicet belue Jasconii, invenietisque post octo menses insulam que vocatur *Ailbey*.[101] Ibi celebratis nativitatem Christi." Cum hec dixisset, reversa est in locum suum.

[100] A. and B. octabas Pentecostes.
[101] A. insula familiae Ailbei : B. insula Albei : F. insula familiae Albei.

CAPUT VI.

THE ISLAND OF ST. AILBHE.

FRATRES autem ceperunt extendere vela et navigare in Oceanum; et aves cantabant quasi una voce: "*Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terre et in mari longe.*" Igitur pater sanctus Brendanus, cum suis fratribus super equora Oceani huc atque illuc agitabatur per tres menses, nichilque poterant videre nisi celum et mare, et reficiebant semper post biduum aut triduum. Quadam vero die apparuit eis insula non longe. Cum autem appropinquassent ad litus, traxit illos ventus in partem, et ita per quadraginta dies navigaverunt per insule circuitum, et non poterant portum invenire. Fratres autem precati sunt Dominum cum fletu, ut illis adjutorium prestaret. Vires eorum pre nimia lassitudine jam pene defecerant. Cum autem permansissent in crebris oracionibus per triduum pariter et abstinencia, apparuit illis portus angustus, unius navis tantum receptabilis, et duo fontes, unus turbidus, et alter clarus. Fratribus autem festinantibus[102] ad hauriendam aquam, vir Dei ad eos dixit: "Filioli, nolite facere illicitam rem. Sine licencia seniorum qui sunt in hac insula nichil sumatis; tribuent enim spontanee[103] que vultis furtim auferre."

Igitur descendentibus de navi et considerantibus qua parte ituri essent, occurit illis senex nimia senectute confectus, cujus capilli nivei erant coloris, et facies clara. Qui cum tribus vicibus sese ad terram prostravisset antequam oscularetur Dei virum, ille et qui cum illo erant elevaverunt eum de terra, seque invicem osculati sunt. Tunt tenuit manum sancti patris idem senex, et ivit cum illo per spacium stadii unius, usque ad monasterium. Tunc sanctus Brendanus substitit ante portam

[102] F. adds: *cum vasculis.*
[103] A. and B. vobis has aquas spontanee quas modo vultis furtim bibere.

monasterii, et dixit seni: "Cujus est istud monasterium, aut quis preest ibi?"[104] Ita sanctus pater diversis sermonibus interrogabat senem; sed nunquam poterat ab illo ullum responsum accipere; sed tantum incredibili mansuetudine, manu silentium insinuabat. Ut autem agnovit pater decretum loci illius, fratres suos ammonuit dicens: "Custodite ora vestra a loqucionibus, ne polluantur isti fratres per scurrilitatem vestram." Hiis auditis,[105] ecce undecim fratres occurrunt obviam cum capis et crucibus, et hymnis dicentes istum versiculum: "Surgite sancti de mansionibus vestris, et proficiscimini obviam nobis.[106] Locum sanctificate, plebem benedicite, et nos, famulos vestros, in pasce custodire dignemini." Finito hoc versiculo, pater monasterii osculatus est Brendanum et suos socios per ordinem. Similiter et ejus famuli[107] osculati sunt familiam sancti viri. Data pace vicissim, duxerunt illos in monasterium, sicut mos est in occiduis[108] partibus. Post hec, abbas monasterii cum suis sociis monachis, cepit lavare pedes eorum, et cantare mandatum novum.[109] Hiis finitis, cum silencio magno duxit illos ad refectionem,[110] pulsatoque signo et lotis manibus fecit omnes residere. Iterum pulsato signo surrexit unus ex fratribus monasterii, ministrans[111] mensam panibus miri candoris, et quibusdam radicibus incredibilis saporis. Sedebant autem fratres mixtim cum hospitibus in ordine suo. Inter fratres duos panis integer ponebatur. Iterum minister, pulsato signo, ministravit[112] fratribus. Abbas autem hortatus est eos cum magna hylaritate dicens: "Fratres, ex hoc fonte de quo hodie furtim bibere volebatis, ex illo modo facite caritatem

[104] A. B. and F. add: *ant unde sunt qut commorantur in eo.*
[105] A. and B. his interdictis verbis: F. his verbis dictis.
[106] A. B. and F. veritati.
[107] A. and B. sua familia osculabatur.
[108] A. B. and F. in occidentalibus partibus ducere fratres post orationes.
[109] A. adds: do vobis. B. adds: do vobis ut diligatis invicem. F. cantare antiphonam mandatum novum.
[110] A. B. and F. refectorium.
[111] A. and B. et cepit ministrare ad mensam panes miri candoris et quasdam radices incredibilis saporis.
[112] A. B. and F. add: *potum.*

cum jocunditate et timore Domini. Ex alio fonte turbido quem vidistis, lavantur pedes[113] omni die quia omni tempore calidus est. Panes vero hos quos videtis nobis ignotum est ubi preparantur, aut quis apportat ad cellarium nostrum. Sed hoc notum est quod ex Dei dono in elemosina ministrantur nobis per aliquam subjectam creaturam, et fit in nobis quod veritas dicit: Timentibus Deum nichil deest. Sumus vero viginti quatuor fratres cotidie qui habemus duodecim panes ad nostram refectionem, inter duos semper singulos panes. In festivitatibus autem et dominicis diebus addit Dominus nobis integros panes singulis fratribus, ut cenam habeant ex fragmentis et modo in adventu vestro duplicem annonam habemus; et ita nos Christus semper nutrit a tempore sancti Patricii, et sancti Ailbei patrum nostrorum, usque modo per octoginta annos.[114] Attamen aut senectus aut langor in menbris nostris minime amplificatur in hac insula, nichilque ad comedendum indigemus, quod igne paratur, neque frigus aut estus superavit[115] unquam. Set sumus quasi in paradiso Dei, et cum tempus venit missarum aut vigiliarum, accenduntur luminaria in nostra ecclesia que adveximus[116] de terra nostra divina predestinacione, et ardent semper in perpetuum,[117] et non minuitur ullum ex hiis luminaribus."

Postquam autem refecti sunt et biberunt tribus vicibus, abbas solito more pulsavit signum, et fratres unanimiter cum magno silencio et graciarum actione, levaverunt se de mensa, antecedentes sanctos patres ed ecclesiam. Gradiebantur vero post illos sanctus Brendanus et predictus pater monasterii. Cum intrassent in ecclesiam, ecce alii duodecim fratres exierunt obviam illis flectentes genua coram eis alacriter. Sanctus Brendanus hos videns, ait patri: "Abba, cur isti non refece-

[113] A. B. and F. add: *fratrum.*
[114] F. adds: Sanctissimus Patricius archipontifex tocius Hyberniae erat qui eam de gentilitate ad fidem convertit: beatissimus vero Ailbeus archiepiscopus provinchie Mumeniae erat quae est Hyberniae quinta pars. Et ille addidit.
[115] A. B. and F. superat nos.
[116] A. and B. duximus nobiscum: F. portavimus nobiscum.
[117] Instead of "semper in perpetuum," A. B. and F. have "usque in diem."

runt vobiscum ?—Cui, ait pater: Propter vos. Quia non potuit nostra mensa nos omnes capere in unum. Modo reficient, quia, Deo volente, nichil illis deerit. Nos autem intremus in ecclesiam, et cantemus vesperas ut fratres nostri qui modo reficiunt, possint per tempus cantare suas." Dum autem prefinissent debitum vespertinale, cepit considerare sanctus Brendanus, quomodo edificata erat illa ecclesia. Erat enim quadrata tam longitudine quam latitudine et habebat septem[118] luminaria ita ordinata: tria[119] ante altare quod erat in medio, et bina ante duo altaria. Erant enim altaria de cristallo,[120] calices et patene, urceoli, et cetera vasa que pertinebant ad cultum divinum, itidem ex cristallo erant, et sedilia viginti quatuor per circuitum ecclesie. Locus autem ubi abbas sedebat, erat inter duos choros. Incipiebat ab illo una turma, et in illum finiebat, et alia turma similiter. Nullus ex utraque parte ausus erat incoare versum nisi abbas; nec in monasterio vox ulla audiebatur, nec ullus strepitus, set si aliquid necesse fuisset alicui fratri, ibat ante abbatem, et genu flexo ante illum postulabat[121] que opus illi erant. Et pater accepto stilo scribebat in tabula per revelacionem Dei, et dabat fratri qui consilium postulabat ab illo. Considerante autem intra se hec omnia sancto Brendano, dixit ei abbas: "Pater, jam tempus est ut revertamur in refectorium, ut omnia fiant cum luce, sicut scriptum est:—Qui in luce ambulat, non offendit." Et ita fecerunt. Finitis omnibus secundum ordinem cursus Die, omnes cum magna alacritate festinaverunt ad completorium. Abbas vero cum premisisset versiculum:—*Deus in adjutorium meum intende:* dedissetque simul honorem Trinitati, subjungunt istum versiculum: "Peccavimus, injuste egimus, iniquitatem fecimus. Tu[122] qui pius es, miserere nobis, Christe Domine. In pace in id

[118] A. octo.
[119] A. quattuor.
[120] A. B. and F. quadrato facta, et eorum vascula similiter ex cristallo, hoc est, &c.
[121] A. B. and F. add "in corde suo."
[122] Instead of the second sentence of this antiphon, A. has: quia tu pius es pater nobis. B. and F. have: Tu qui pius es pater parce nobis Domine.

ipsum dormiam et requiescam."[123] Post hec cantaverunt officium ad hanc horam pertinens. Jam consummato ordine psallendi exierunt fratres ad cellulas[124] suas accipientes fratres hospites secum. Abbas vero cum sancto Brendano residens in ecclesia, luminis expectavit adventum. Brendanus autem beatus interrogavit patrem de silencio, et quomodo conversacio talis in humana carne posset servari. Tunc pater cum magna reverencia et humilitate respondit : " Abba, coram Christo fateor octoginta anni sunt ex quo venimus in hanc insulam. Nullam vocem humanam audit aliquis ab aliquo, excepto quando cantamus Deo laudes. Inter nos viginti quatuor fratres non excitatur vox, nisi per signum digiti aut oculorum, et hoc tantum a majoribus natu. Nullus ex nobis sustinuit infirmitatem unquam carnis aut spiritus[125] qui necant[126] humanum genus, postquam venimus in hunc locum." Sanctus Brendanus hec audiens, lacrimis perfusus, ait patri : " Nobis, queso, indicare digneris, licet hic nos esse an non ?" Qui ait : " Non licet, quia non est Dei voluntas ; sed cur me interrogas pater ? Nonne revelavit tibi Deus que te oporteat facere antequam venires ad nos ? Te enim reverti oportet in locum tuum, ubi Deus cum quatuordecim fratribus tuis preparavit locum sepulture tue. De duobus vero qui supersunt unus peregrinabitur in insula que vocatur Anacoritalis ;[127] porro alter morte pessima condempnabitur apud inferos :" quodpostea rei geste probavit eventus.

Cumque hec inter se loquerentur, ecce videntibus illis, sagitta ignea submissa per fenestram accendit omnes lampades que erant posite ante altaria, et confestim per eamdem fenestram reversa est sagitta[128] in lapidibus, lumine remanente. In-

[123] B. and F. add : quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.
[124] A. B. and F. ad illorum singulas cellulas.
[125] A. and B. temptationem spirituum immundorum : F. molestias spirituum.
[126] A. B. and F. vagantur per.
[127] A. B. and F. Anachoretarum.
[128] The subsequent words of this sentence are manifestly incomplete. A. B. and F. give the end of the sentence thus : " reversa est foras, tamen lumen praeclarum remansit in lampadibus."

terrogavit autem beatus Brendanus a quo extinguerentur luminaria mane, cui ait pater : " Veni et vide sacramentum rei. Ecce tu vides ardentes candelas in medio vasculorum, tamen nichil ex illis exuritur ut minus habeant aut decrescant, neque remanebit mane ulla favilla, quia lumen spirituale est." Tunc sanctus Brendanus : " Quomodo potest in corporali creatura, lumen incorporale ardere ?" Respondit ille senex : " Nonne legisti rubum ardentem in monte Synaï ; et tamen remansit ipse rubus ab igne illesus." Ait senex : " Legi. Quid ad hec ?" Et vigilantibus hiis usque mane, sanctus Brendanus licentiam proficiscendi petivit cui pater : " Non, inquit, vir sancte, sed debes nobiscum celebrare nativitatem Domini, et solacium nobis prebere, usque ad octabas epiphanie." Mansit itaque sanctus pater cum suis fratribus[129] usque ad predictum tempus in insula que vocatur Ailbei.[130]

CAPUT VII.

THEY VISIT OTHER ISLANDS.

TRANSACTIS autem diebus,[131] accepta benedictione a patre et ratribus,[132] et hiis que victui necessaria erant, beatus Brendanus tetendit vela in Oceanum. Ita[133] sine navigio, sine velis ferebatur navis per diversa loca, usque ad inicium quadragesime. Quadam vero die viderunt insulam non longe ab illis. Quàm cum vidissent, ceperunt alacriter navigare, quia valde erant jam vexati fame et siti. Ante triduum enim defecerat eis victus et potus ; at vero cum sanctus pater Brendanus benedixisset portum et omnes exissent, invenerunt fontem lucidissimum, et herbas diversas, et radices in circuitu fontis, diver-

[129] A. and B. cum sua familia.
[130] A. and B. insula familiae Ailbei.
[131] A. and B. festivitatibus.
[132] Instead of "a patre et fratribus," A. and B. have "sanctorum virorum."
[133] A. and B. et ibi.

saque genera piscium discurrencium per alveum rivuli manantis[134] in mare. Sanctus Brendanus hec videns, dixit fratribus: "Fratres, certe Deus, nobis dat consolacionem post laborem. Accipite pisces quantum ad cenam nostram sufficit, et assate eos igni. Colligite etiam herbas et radices quas Dominus servis suis paravit." Et ita fratres fecerunt. Cum autem effundissent aquam ad bibendum, dixit vir Dei: "Cavete fratres, ne ultra modum utamini hiis aquis, ne gravius vexentur corpora nostra." At fratres inequaliter diffinicionem viri Dei considerantes, alii singulos calices bibebant alii binos, alii vero ternos; et in alios quidem irruit sopor trium dierum et trium noctium;[135] in reliquos vero unius diei et noctis. Sanctus vero Brendanos sine intermissione precabatur Dominum pro fratribus, quoniam per ignoranciam contigerat illis tale periculum. Transactis itaque hiis tribus diebus, dixit pater sociis suis: "Fugiamus filioli istam mortem, ne deterius nobis contingat. Dominus enim nobis dederat pastum, sed vos fecistis inde detrimentum. Egredimini igitur de hac insula, et accipite stipendia de piscibus quantum necesse est post triduum[136] usque ad cenam Domini, similiter de aqua singulos calices et ex radicibus equaliter." Cum autem honerassent navem ex omnibus que ver Dei preceperat, ceperunt navigare in Oceanum contra septentrionalem plagam. Porro post tres dies totidemque noctes cessavit ventus, et cepit mare esse quasi coagulatum pre nimia tranquillitate. Tunc sanctus pater dixit: "Mittite remiges in navem, et laxate vela. Ubicumque enim Dominus voluerit, gubernabit illam." Ita tamen navis ferebatur per viginti circiter dies. Post hec dedit illis Deus ventum prosperum. Ab occidente contra orientem ceperunt vela tendere et simul navigare, reficientes semper post triduum.[137]

[134] A. and B. add: *de fonte.*
[135] A. B. and F. add: in aliquos quoque duorum dierum.
[136] Instead of: "post triduum." A. and B. have: "per triduanas." F. totam quadragesimam per triduum.
[137] A. and B. triduanum.

Quadam vero die, apparuit illis insula quasi nubes a longe. Tunc sanctus Brendanus ait fratribus : " Filioli, cognoscitis vos insulum illam ?" At illi dixerunt : " Minime pater." At ille : " Ego, inquit, cognosco illam. Ipsa est enim in qua fuimus anno preterito in cena Domini, ubi noster procurator bonus commoratur." Hoc audito fratres ceperunt pre guadio acriter navigare quantum poterant vires eorum sustinere. Cum vir Dei hoc vidisset, ait : " Nolite, stulti,[138] fatigare membra vestra ! Nonne omnipotens Deus est gubernator navicule nostre ? Dimittite eam illi,[139] quia ipse diriget iter nostrum sicut vult." Cum appropinquassent ad litus predicte insule, occurrit illis isdem procurator et duxit illos ad portum ubi anno preterito descenderant, magnificans Deum, et osculatus est pedes sancti Brendani et omnium fratrum, dicens : " Mirabilis Deus in sanctis suis."[140] Finito jam versiculo et ablatis omnibus de navi, extendit tentorium et paravit balneum. Erat enim cena Domini, et induit omnes fratres novis vestimentis pariter et sanctum Brendanum, et fecit illorum obsequium sicut facere consueverat. Fratres vero passionem Domini celebraverunt cum magna diligencia, usque in sabbatum sanctum. Finitis autem oracionibus[141] diei sabbati immolatisque victimis spiritualibus Deo atque cena Domini consumata, dixit ad eos idem procurator : " Ascendite navem ut celebretis dominicam noctem resurrectionis Christi, ubi celebrastis altero anno, et diem similiter usque in sextam horam. Postea navigate ad insulam que vocatur *Paradisus avium*, ubi fuistis preterito anno, a Pascha usque ad octabas Pentecostes. Asportate autem vobiscum omnia que sunt necessaria vobis in cibo et in potu, et ego visitabo vos die dominica altera." Et ita fratres fecerunt. Sanctus autem, data benedictione fratri illi, fratresque omnes ascenderunt in navem, et ita navigaverunt in

[138] A. B. and F. stulte.
[139] A. B. and F. sibi.
[140] A. B. and F. add : *Deus Israhel, ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suae, benedictus Deus.*
[141] A. B. and F. ordinibus.

aliam insulam. Cum autem appropinquassent ad locum ubi descendere debebant de navi, ecce apparuit illis cacabus, quem anno altero fugientes dimiserant supra jasconium. Descendens autem beatus Brendanus de navi, cepit cantare hymnum trium puerorum usque in finem. Finito autem hymno, vir Dei cepit admonere fratres suos, dicens: "O filioli, vigilate et orate, ne intretis in temptacionem. Considerate quomodo Deus subegit immanissimam bestiam subtus nos, sine ullo impedimento." Fratres vero vigilaverunt sparsim per illam insulam usque ad vigilias matutinas. Postea omnes sacerdotes singulas missas decantaverunt[142] usque ad tertiam horam. Set et beatus Brendanus cum suis fratribus ascendens in navem, immolavit agnum immaculatum Deo, et dixit fratribus: "In altero anno hic celebravimus resurrectionem dominicam. Itaque volo si Deus permiserit celebrare et hoc anno." Inde profecti, venerunt ad illam insulam que vocatur paradisus avium. Appropinquantibus autem illis ad portum ejusdem insule, omnes illes aves cantare ceperunt una voce dicentes: "Salus Deo nostro sedenti super thronum et agno." Et iterum: "Deus Dominus illuxit nobis. Constituite diem solempnem in condempsis usque ad cornu altaris." Et tam vocibus quam alis resonaverunt,[143] donec sanctus pater cum suis fratribus et omnibus qui in navi erant, fuit in tentorio suo receptus. Ibi quoque cum fratribus suis celebravit festa paschalia usque ad octabas Pentecostes. Predictus namque procurator venit ad illos sicut promiserat die dominica octavarum Pasche portans secum que ad usum vite pertinebant, et gaudentes invicem gratias egerunt Deo. Cum autem resedissent ad mensam, ecce predicta avit consedit in prora navicule extensis alis ac strepitentibus sicut sonitum organi magni. Agnovit igitur vir sanctus quia volebat ei aliquid indicare, ait namque avis: "Deus omnipotens et clemens predestinavit vobis quatuor loca per quatuor tempora, usque dum finiantur septem anni peregrina-

[142] A. and B. offerebant. F. Deo offerebant.
[143] A. and B. add: diu quasi dimidium unius horae.

tionis vestre. Porro cena dominica, cum vestro procuratore qui presens adest, omni anno. Eritis in dorso belue vigilias Pasche celebrantes. Nobiscum autem eritis in festis paschalibus, usque ad octavas Penthecostes. Apud insulam vero Ailbei, a Nativitate usque ad Purificacionem sancte Virginis Marie. Post septem annos, antecedentibus magnis ac diversis periculis, vos invenietis terram repromissionis sanctorum, quam queritis, et ibi habitabitis quadraginta diebus ; et postea reducet vos Deus ad terram nativitatis vestre." Sanctus Brendanus hec audiens, lacrimis profusus, prostravit se ad terram cum fratribus, referens laudes et gratias creatori omnium. Avis autem relersa est in locum suum, finitaque refectione procurator, dixit ; " Deo adjuvante revertar ad vos in die adventus Spiritus sancti super Apostolos, cum expendiis[144] vestris." Et sic accepta benedictione, reversus est in locum suum.

CAPUT VIII.

THEY ARE MIRACULOUSLY SAVED FROM DESTRUCTION.

PORRO, venerablis pater mansit ibi cum fratribus statuto tempore. Consummatis itaque diebus,[145] sanctus vir jussit fratribus preperare navigium, et implere omnia vascula ex fonte. Ducta autem jam navi in mare, ecce predictus vir cum navi sua venit onerata escis, cumque omnia posuisset in naviculam viri Dei, osculato viro sancto Brendano et cunctis fratribus, reversus est unde venerat.

Vir autem sanctus cum suis fratribus navigavit in Oceanum, et ferebatur navis per quadraginta dies. Quadam vero die apparuit illis immense magnitudinis piscis[146] post illos natans, qui jactans de naribus spumas, solcabat undas velocissimo

[144] A. B. and F. stipendiis.
[145] A. and B. add : *festi.* F. festis.
[146] A. B. and F. bestia.

cursu, ut devoraret illos. Quod cum vidissent fratres, clamaverunt ad Dominum dicentes: "Domine, qui finxisti hominem, libera nos famulos tuos." Ad patrem autem clamaverunt: "Pater, succurre! Pater succurre!" Sanctus autem Brendanus oravit Dominum dicens: "Libera nos Domine servos tuos, ne devoret illos bestia ista." Et confortans fratres ait: "Nolite expavescere modice fidei. Deus qui semper noster defensor est, ipse nos liberabit de ore istius belue, et de omnibus periculis." Appropinquante autem illa, antecedebant eam undae mire magnitudinis, usque ad marginem navis. Fratres magis ac mágis timebaut: venerabilis quoque senex manibus extensis in celum, dixit: "Domine, libera nos servos tuos sicut liberasti David de manibus Golie gygantis, et[147] Jonam de potestate ceti magni." Finitis hiis precibus,[148] ecce ingens belua ab Occidente obviam venit alteri bestie, que cum emisisset ignem ex ore suo, iniit bellum contra illam. At senex ait fratribus: "Videte, filii, magnalia Redemptoris nostri. Videte obedienciam quam Creatori suo exhibet creatura. Modo expectate finem rei. Nichil enim ingeret nobis hec pugna mali. Magis glorie Dei reputabitur." Hiis dictis, misera belua, que prosequebatur famulos Dei, interfecta est et in tres partes divisa coram illis, et altera reversa est, unde venerat, post victoriam. Atlera die viderunt insulam procul herbosam[149] nimis, et valde spaciosam. Appropinquantibus autem illis ipsius insule littori, et de navi exire volentibus, visa est eis pars posterior illius belue, que interfecta fuerat. Tunc sanctus Brendanus ait fratribus: "Ecce inquit, que devorare voluit nos. Ipsam devorate, et de ejus carnibus saturamini. Expectabitis enim longum tempus in hac insula. Levate naviculam altius in terram, et querite locum temptorio aptum." Ipse autem pater predestinavit illis locum ad habitandum. Cum autem fecissent fratres secundum preceptum viri Dei,

[147] A. B. and F. repeat: Domine libera nos sicut liberasti.
[148] A. and B. his versibus duobus.
[149] A. and B. arbustam.

ac misissent omnia utensilia in tentorium, ait ad illos: "Accipite stipendia de ista bellua, que sufficiant nobis per tres menses. Hac enim nocte erit illud cadaver devoratum a bestiis." Fratres autem[150] asportaverunt carnes quantum eis opus erat secundum preceptum sancti patris. Perfectis hiis omnibus, fratres dixerunt sancto patri: "Abba, quomodo possumus hic sine aqua vivere?" Quibus ille ait: "Numquid, difficile est Deo vobis tribuere aquam plusquam victum? Ite ergò contra meridianam partem insule. Illuc invenietis fontem lucidissimum, et herbas multas ac radices, et inde mihi stipendia sumite secundum mensuram;" et invenerunt omnia sicut vir Dei predixerat. Mansit ergò ibi sanctus Brendanus tres menses quia erat tempestas in mari et ventus fortissimus et inequalitas aeris de grandine et pluvia. Fratres vero ibant videre quod dixerat vir Dei de illa belua, nam cum venirent ad locum ubi cadaver antea fuit, nihil invenerunt preter ossa. Illi autem ad virum Dei reversi, dicebant: Abba, sicut dixisti ita est. Quibus ille ait: "Scio, filioli, et vos voluistis probare an verum dixerim?" Fratres vero dixerunt: "Certe pater verum est." Qui ait: "Aliud signum vobis dicam. Porcio cujusdam piscis qui ereptus est de sagena piscantium, hac nocte veniet huc, et cras reficiemini vos inde." Sequenti vero die exierunt fratres ad locum, et invenerunt sicut predictum erat a Dei viro, et attulerunt quantum portare poterant. Ait illis venerabilis pater: "Ista diligenter servate, et sale condite, erunt enim nobis necessaria. Faciet enim Dominus serenum tempus hodie et cras, et post tercium cras cessabit tempestas maris et fluctuum; et postea proficiscemini de loco isto."

[150] A. B. and F. add: *usque ad vesperam.*

CAPUT IX.

THE THREE CHOIRS OF SAINTS.

TRANSACTIS diebus predictis, precepit sanctus Brendanus onerare navem, et utres atque vascula implere ex fonte; herbas vero atque radices ad suum opus colligere, quia sanctus postquam sacerdocii functus est officio non comedit quidquam in quo spiritus esset vite. Honerata vero navi ex hiis omnibus, extensis velis, profecti sunt contra septentrionalem plagam. Quadam die viderunt insulam longe ab illis. Tunc vir Dei ait fratribus: "Videtis insulam illam." Aiunt: "Videmus." Ait illis: "Tres populi in illa insula sunt, puerorum scilicet, juvenum ac seniorum. Et unus ex fratribus nostris peregrinabitur illic." Fratres vero interrogaverunt eum quisnam esset ex illis? Qui noluit indicare eis. Cum autem perseverassent interrogantes, et vidisset tristes, ait: "Iste est frater ille qui permansurus est ibi." Fuit autem frater unus ex illis[151] qui subsequti sunt sanctum Brendanum de suo monasterio, de quibus ipse predixerat fratribus, quando ascenderunt navem in patria sua. Tantum autem appropinquaverunt insule predicte usque dum navis stetisset in litore. Erat autem mira planicie insula illa, in tantum ut videretur illis equalis mari, sine arboribus, sine aliquo quod a vento moveretur. Valde enim erat spaciosa, tamen cooperta scaltis[152] albis et purpureis. Ibi tres turme, sicut vir Dei predixerat, erant; nam inter turmam et turmam spatium erat quasi jactus lapidis de funda, et semper ibant huc atque illuc, et una turba cantabat stando in uno loco dicens: "*Ibunt sancti de virtute in virtutem: videbitur Deus in Syon.*"[153] Et dum una turma prefinisset istum versiculum, turma altera stabat et incipiebat predictum carmen. Et ita faciebant sine cessacione. Erat autem prima

[151] A. B. and F. tribus fratribus.
[152] B. caltis.
[153] A. B. and F. *et videbunt Deum Deorum.*

turma puerorum in vestibus candidissimis; et secunda turma in jacinctinis, et tertia turma in purpureis dalmaticis Erat autem hora quarta quando tenuerunt portum insule. Cum autem hora sexta venisset, ceperunt turme cantare simul dicentes:" "*Deus misereatur nostri*" usque in finem, et "*Deus in adjutorium*," et "*Credidi propter*," et oracionem ut supra. Similiter ad horam nonam alios tres psalmos: "*De Profundis*, —*Ecce quam bonum*,—*Lauda Jerusalem*." Ad vesperas autem: "*Te decet*,[154]—*Benedic anima mea*,—*Laudate pueri Dominum*," et quindecim psalmos graduum cantaverunt sedendo.

Cum autem finissent illud cancum, statim obumbravit illam insulam nubes mire claritatis. Illi autem non potuerunt videre que antea viderant propter claritatem nubis. Attamen audierunt voces cantancium predictum carmen sine intermissione usque ad vigilias matutinas, ad quas cantare ceperunt: *Laudate Dominum de celis*," deinde: "*Cantate domino*," et tertium: "*Laudate Dominum in sanctis ejus*." Post hec cantaverunt duodecim psalmos per ordinem psalterii, usque: "*Dixit insipiens*." At vero cum dies illucesceret, discooperta est illa insula a nube. Confestim tunc cantaverunt tres psalmos: "*Miserere mei Deus*," et "*Domine refugium*," et "*Deus Deus meus*." Ad terciam vero alios tres: "*Omnes gentes, Deus in nomine, Dilexi quoniam*," cum alleluya. Deinde immolaverunt agnum immaculatum, et omnes venerunt ad communionem dicentes: "*Hoc sacrum corpus Domini, et Salvatoris nostri sanguinem sumite vobis in vitam eternam*." Itaque finita immolacione agni, duo ex turma juvenum portaverunt cophinum plenum scaltis purpureis, et miserunt in navem viri Domini dicentes: "Sumite de fructu insule virorum fortium, et reddite nobis fratrem nostrum, et proficiscimini in pace." Tunc sanctus Brendanus vocavit fratrem ad se, et ait: "Osculare fratres tuos et vade cum illis qui te vocant. Dico tibi frater quia bona hora

[154] A. and B. add: *hymnus Deus in Syon*. F. adds only: *ymnus*.

concepit te mater tua, quia meruisti habitare cum tali congregacione." Et lacrimis profusus osculansque eum vir sanctus cum omnibus fratribus, ait illi beatus Brendanus : "Fili recordare quanta beneficia preposuit tibi Deus in hoc seculo. Vade, ora pro nobis." Et vale dicens ei, protinus sequtus est duos juvenes illos ad scolas sanctorum ; ut autem viderunt illum alii sancti, cantare ceperunt hunc versiculum. "*Ecce quam bonum*," et post, alta voce personuerunt : "*Te Deum Laudamus ;*" et cum osculati fuissent eum omnes, sociatus est illis. Venerabilis autem pater Brendanus cepit inde navigare. Cum autem hora prandii[155] venisset, jussit fratribus reficere corpora de scaltis. Ipse vero apprehensa una visaque ejus magnitudine, et quia succo esset plena, admiratus ait : "Dico vobis, fratres, non reminiscor me vidisse unquam aut legisse scaltes tante magnitudinis." Erant autem equalis stature in modum magnæ pile. Et, accepto vasculo, expressit unam ex illis, attulitque de succo libram unam ; quam in duodecim uncias divisit deditque unicuique fratri unciam unam, sicque per duodecim dies refecerunt fratres de singulis scaltis, tenentes semper in ore saporem mellis. Hiis diebus finitis, precepit sanctus pater illis triduo jejunare. Quo transacto, ecce avis splendidissima evolavit e regione navis, tenens in rostro ramum cujusdam arboris ignote, habentem in summitate botrum magnum mire rubicunditatis, quem juxta virum Dei dimittens recessit. Ille autem vocatis fratribus ait: "Sumite prandium quod Dominus misit nobis." Erant autem uve illius sicut malum ; quas vir Dei divisit fratribus per singulos. Et ita habuerunt victum per quatuor dies. Hiis expletis, iterum cepit predictum jejunium cum fratribus suis agere. Tercia denique die viderunt non longe insulam totam coopertam arboribus dempsissimis, habentibus fructus predictarum uvarum incredibili fertilitate ; ita ut omnes rami arborum illarum incurvati essent usque ad terram, et omnes unius fructus, unius coloris. Nulla

[155] A. B. and F. nona.

erat arbor sterilis, nullaque alterius generis in eadem insula. Tunc fratres tenuerunt portum. Vir autem Dei descendens de navi, cepit circumire illam. Erat autem illius odor, sicut odor domus plene malis punicis. Fratres vero expectaverunt in navi, donec ad eos vir Dei rediret. Iterum flavit eis ventus odore suavissimus, et de flagrantia arborum ita refecti sunt, utt jejunium suum etiam temperare putarentur.[156] At venerabilis senex invenit sex fontes irriguos, herbis virentibus ac radicibus diversi generis. Post hec reversus ad fratres, portans secum de primiciis insule, dixit illis: "Exite de navi et figite tentorium et confortamini et reficite vos de optimis fructibus terre istius quam Dominus ostendit nobis." Sicque per quadraginta dies refecti sunt uvis et herbis, ac radicibus fontium.

Post quod tempus ascenderunt navem portantes secum de fructibus terre illius.[157] Ascendentes autem laxaverunt vela ubicumque ventus direxisset navem; et cum navigarent apparuit illis avis que vocatur *gripha*, volitans contra illos. Quam cum vidissent fratres, sancto patri dixerunt: "Pater, sucurre, quia ad devorandum nos venit ista bestia." Quibus ait vir Dei: "Nolite timere eam, Dominus enim noster adjutor est." Venit autem quedam avis[158] obviam griphe rapidissimo volatu, et ambiguo eventu bellando confecta. Tandem evulsis ejus oculis, superavit atque interemit eam, et cadaver ejus coram fratribus cecidit in mare. Quod videntes fratres laudes dederunt Deo. Avis autem victrix reversa est in locum suum. In insula vero Ailbei celebraverunt Natalem Domini. Hiis finitis diebus, sanctus Brendanus accepta benedictione patris monasterii, circuit cum fratribus Oceanum per multum tempus. Tantummodo ad Pascham et Nativitatem Domini habebat requiem in predictis locis.

[156] A. B. and F. have: ita ut ad oblivionem, illorum jejunium verteretur.
[157] A. B. and F. quantum poterat navis eorum portare.
[158] A. B. and F. add: *quae illis altera vice portavit ramum cum fructibus.*

CAPUT X.

SOME WONDERS OF THE OCEAN.

QUODAM vero tempore, cum sanctus Brendanus celebraret beati Petri festivitatem in sua navi, invenerunt mare tam clarum ut videre possent ea que subtus erant. Viderunt etenim diversa bestiarum genera subter jacentia, videbaturque illis quod si vellent possent illas pre nimia claritate maris manu tangere in profundo. Erant enim quasi greges jacentes in pascuis pre multitudine, sicut civitas in gyro applicantes capita in posterioribus. Rogaverunt autem venerabilem virum Dei fratres, ut cum silencio missam celebraret, ne bestie auditu peregrino ad prosequendum servos Dei concitarentur. Sanctus vero pater subridens, dixit illis: "Miror valde stulticiam vestram. Cur timetis istas bestias? Nonne omnium bestiarum maxima devorata est? Sedentes vos et psallentes sepe in dorso ejus fuistis, et silvam scindistis, et ignem accendistis, et carnem ejus coxistis. Cur ergo timetis istas? Deus enim noster Dominus Jhesus est Christus, qui potest humiliare omnia animantia." Cum hec dixisset, cepit altius cantare, fratres namque aspiciebant semper bestias. Cum audissent vocem viri Dei, a fundo levantes se, natare ceperunt in circuitu navis; ita ut nichil aliud fratres possent videre preter multitudinem natancium. Non tamen appropinquaverunt navicule, sed longe natabant huc atque illuc, donec vir Dei finisset missam. Post hec quasi fugiendo per diversas semitas Oceani a facie servorum Dei enataverunt. Vix itaque per octo dies prospero vento extensis velis potuerunt mare clarum transmeare.

Quadam vero die cum celebrassent ter missas, apparuit illis columpna in mari, que non longe ab illis videbatur; sed tamen non potuerunt ante tres dies attingere illam. Cum autem appropinquassent, vir Dei aspicere cepit summitatem illius; minime enim potuit videre eam pre altitudinem; namque altior

erat aere. Porro cooperta erat tam raro conopeo, ut navis non[159] posset transire per foramen illius. Ignorabant autem ex qua materia factus esset ipse conopeus. Habebat vero colorem argenteum, et durior visus est illis quam marmor. Columpna vero de cristallo clarissimo[160] erat, at vir Dei ait fratribus: "Mittite remiges vel remos intus in navi, et arborem atque vela, et alii ex vobis teneant interim fibulas conopei." Spacium namque tenebat predictus conopeus[161] a columpna, quasi unius miliarii; et ita extendebatur in profundum. Quo facto, ait vir Dei ad illos: "Mittite navim intus per aliquod foramen, ut videamus diligenter magnalia Creatoris nostri." Cum autem foramen intrassent et aspicerent huc atque illuc, mare apparuit quasi vitreum pre claritate; ita ut omnia que subtus erant possent videre; nam bases columpne poterant considerare, et summitatem similiter conopei jacentem in terram. Lux vero solis non minor intus erat quam foris. Tunc sanctus Brendanus mensurabat foramen unum inter quatuor conopeos quatuor cubitis in omnem partem. Igitur navigantes per totem diem juxta unum latus illius columpne, semper umbram solis et calorem poterant sentire usque ultra horam nonam. Sic et ipse vir Dei mensuravit in illam quadragintis[162] cubitis, et mensura una per qatuor latera illius columpne erat, sicque[163] quadriduum operatus est vir Dei. Quarto vero die invenerunt calicem de genere conopei, et patenam de colore columpne contra[164] austrum. Que statim vascula vir sanctus apprehendit dicens: "Dominus noster Jhesus Christus ostendit nobis hoc miraculum, et ut ostendatur multis ad credendum, dedit nobis bina munera." Precepit autem vir sanctus fratribus divinum officium peragere, et postea corpora reficere.

[159] non is omitted in A. B. and F.

[160] A. and F. durissimo.

[161] The preceding part of this sentence is thus given in A. and B.: "Spacium namque magnum tenebat in omni parte praedictus sagus." F. spacium enim magnum erat in omni parte inter illum conopeum et columpnam quasi, &c.

[162] A. and B. "mensurabat latus unum MCCC cubitis." F. quadringentis.

[163] B. and F. have "et sic per quatuor angulos praedictae turris."

[164] B. ad.

Illi enim nullum sustinuerant ibi, ex quo viderunt illam collumpnam. Transacta itaque nocte illa, ceperunt navigare contra Septemtrionem. Cum autem transissent quoddam foramen, posuerunt arborem et vela in altum, et alii ex fratribus tenuerunt fibulas conopei quousque omnia preparassent in navi. Extensis autem velis cepit prosper ventus post illos flare, ita ut non opus esset fratribus navigare, sed tantum funiculos et gubernacula tenere, et ferebantur per octo dies contra aquilonem.

CAPUT XI.

A VOLCANIC ISLAND.

TRANSACTIS autem diebus octo, viderunt insulam valde rusticam et saxosam, atque scoriosam sine herba et arboribus, sed et plenam officinis fabrorum. Venerabilis autem pater ait fratribus: "Vere, fratres, augustia est michi de hac insula. Nolo in illam intrare aut appropinquare illuc; sed ventus trahit nos illuc cursu recto; circumdabitur enim illo limite." Ergo cum illi preterissent paulum, quasi jactum lapidis, audierunt sonitum follium sufflancium quasi tonitrua, atque malleorum collisiones contra ferrum et incudes. Hiis auditis, venerabilis senex armavit se dominico tropheo per totum corpus,[165] dicens: "Domine Jhesu Christi, libera nos de hac maligna insula." Finito sermone viri Dei, ecce unus ex habitatoribus ejusdem insule egressus est foras, quasi ad opus aliquod peragendum. Hispidus ille valde erat et horribilis, igneus atque tenebrosus. Cum autem vidisset famulos Christi juxta insulam, reversus est in suam officinam dicens: "Heu! heu! heu!"

Vir autem Dei iterum se armavit signo crucis et ait fratri-

[165] A. B. and F. in quatuor partes.

bus: "Filioli, tendite altius vela, et simul navigate quamtocius, fugiamus istam insulam." Quo audito, ecce[166] predictus barbarus occurrit illis ad litus, portans forcipes in manibus et massam igneam de scoria immensae magnitudinis atque fervoris, quam super famulos Christi confestim jactavit; sed minime nocuit illis, quia muniti erant vexillo crucis. Transivit enim juxta illos quasi unius spacium stadii. Ubi autem cecidit in mare, cepit fervere quasi prune ignee,[167] et ascendit fumus de mari sicut de clibano ignis. At vir Dei cum pertransisset spacium unius miliarii ab illo loco ubi ceciderat massa, omnes qui in illa insula erant conglobati, in unum occurrerunt ad litus, portantes singuli singulas massas. Alii jactare ceperunt post famulos Christi massas in mari; post alterutrum jactabant massas suas. Post hec autem omnes reversi ad officinas suas, incenderunt eas, et apparuit illa insula quasi tota ardens sicut unus globus.[168] Et mare estuavit sicut unus cacabus plenus carbonibus,[169] quando bene ministratur ab igne, et audierunt fratres per totum diem ululatum. Et quando etiam non poterunt videre illam insulam, ad aures eorum veniebant ululatus habitancium in ea, et ad nares eorum ingens fetor. Tunc sanctus pater Brendanus monachos suos cepit confortare dicens: "O milites Christi, roboramini in fide non ficta et in armis spiritualibus, quia sumus modo in confinio infernorum. Propterea vigilate et agite viriliter."

CAPUT XII.

JUDAS ISCARIOT.

ALTERO vero die apparuit illis mons magnus et altus in Oceano contra septentrionalem plagam non longe, sed quasi

[166] A. B. and F. add: *citius dicto.*
[167] A. B. and F. "*quasi ruina montis ignei fuisset.*"
[168] A. B. and F. clibanus.
[169] A. and B. carnibus aestuantibus. F. carnibus aestuans.

per tenues nebulas, et valde fumosus erat in summitate. Et statim, cursu rapidissimo, ventus traxit illos ad litus ejusdem insule, usque dum navis resedit non longe a terra. Erat namque ripa immense altitudinis, ita ut summitatem illius vix possent videre, et coloris carbonum et mire rectitudinis sicut murus. Unus quidem qui remanserat ex illis tribus fratribus, qui sequti fuerant patrem Brendanum de suo monasterio exilivit foras de navi, et cepit ambulare usque ad fundamentum ripe, et cepit gemere ac clamare dicens: "Ve mihi, pater, quia predor a vobis, et non habeo potestatem revertendi ad vos." Fratres vero tremore percussi, confestim retro a terra navim duxerunt, et clamaverunt ad Dominum cum gemitibus dicentes: "Miserere nobis, Domine, miserere nobis!" At vero pater beatus Brendanus quo modo ducebatur ille infelix à multitudine demonum inspiciebat, et quomodo incendebatur inter illos. Videns autem hoc pater Brendanus dixit: "Ve tibi misero, quia recepisti vite tue talem finem." Post hec autem arripuit eos prosper ventus, et cepit eos minare ad australem plagam. Cum autem aspexissent retro, viderunt montem illius insule discoopertum a summo,[170] flammamque spumantem ad ethera, et iterum ad se easdem flammas respirantem ita ut totus mons usque ad mare unus rogus appareret. Igitur post hanc terribilem visionem ceperunt navigare contra meridiem, itinere septem dierum. Post hec autem pater Brendanus vidit quasi nebulam dempsissimam, et cum appropinquassent, apparuit eis quedam formula quasi hominis sedentis supra petram et velum ante illum mensura unius sacci[171] pendens inter duas forcipes ferreas, et sic agitabatur fluctibus sicut navicula quando periclitatur a turbine. Quod videntes fratres, alii putabant quod avis esset; aliis autem navim esse putantibus, vir Dei respondit illis: "Dimittite hanc contencionem fratres, et dirigite navem usque ad locum." Cum vero vir Dei appropinquasset illuc, restiterunt undae in circuitu quasi

[170] A. B. and F. fumo.
[171] A. B. and F. sagi.

coagulate. Invenerunt autem hominem sedentem super petram cispidum ac deformem, et ex omni parte quando unde affluebant ad illum, percuciebant illum usque ad verticem. Quando vero recedebant, apparebat illa petra nuda in qua sedebat infelix homo. Pannum vero qui pendebat ante illum aliquando ventus movebat, percutiebatque eum per oculos et frontem. Interrogante autem beato viro quis esset, aut pro qua culpa ibi missus esset, quidque meruisset ut talem penitentiam sustineret, ait: "Ego sum infelicissimus ille Judas, nogociator pessimus. Non autem pro ullo merito habeo istum locum, sed pro misericordia ineffabili Jhesu Christi. Nunquam michi expecto penitencie locum, sed pro indulgencia et pietate Redemptoris mundi, et pro honore resurrectionis sue sancte hoc habeo refrigerium (erat autem dominicus dies), et quando hic sedeo, videtur michi quasi in paradiso deliciarum sim, propter tormentorum penas, que michi future sunt in hoc vespere; nam quando sum in penis, ardeo sicut massa plumbi liquefacta in olla die ac nocte, in medio montis quem vidistis: ibi est Leviatan cum suis satellitibus, et ego ibi eram quando deglutivit fratrem vestrum; et ideo letabatur infernus, et misit ingentes flammas, et sic facit semper quando animas impiorum devorat. Ut autem sciatis immensam Dei pietatem, narrabo vobis meum refrigerium. Meum autem refrigerium habeo hic omni die dominica a vespere usque ad vesperam, et a Nativitate Domini usque ad Theophaniam, et a Pascha usque ad Pentecostem, et in Purificatione beate Marie et in ejus sancta Assumpcione. Ceteris autem diebus crucior cum Herode et Pilato, Anna et Caipha; et idcirco adjuro vos per mundi Redemptorum, ut intercedere dignemini ad Dominum Jhesum ut liceat michi hic esse vel usque mane ad ortum solis, ne me demones in adventu vestro crucient atque ducant ad malam heriditatem quam precio[172] comparavi." Cui vir sanctus: "Fiat voluntas Domini. In hac enim nocte non eris motus[173] a demoni-

[172] A. B. and F. malo precio.
[173] A. B. and F. morsus.

bus usque cras." Iterum vir Dei interrogavit eum dicens: "Quid sibi vult iste pannus?" At ille ait: "Hunc dedi cuidam leproso quando fui camerarius Domini; sed quia meum non fuit,[174] ideo nullum in eo refrigerium habeo; sed magis impedimentum. Nam furcas ferreas ubi pendet dedi sacerdotibus ad cacabos sustinendos. Petram autem cui semper sedeo publica via misi in fossam antequam fuissem discipulus Christi." Cum autem vespertina hora operuisset faciem Thetidis, ecce multitudo demonum in circuitu vociferantes et dicentes: "Recede vir Dei a nobis, quia non possumus socio nostro propinquari, nisi ab illo recedas. Faciem autem principis nostri videre non audemus, donec reddamus ei amicum suum. Tu vero redde nobis morsum nostrum, et noli eum nobis tollere in hac nocte." Quibus vir Dei ait: "Non ego defendo eum, sed Dominus Jhesus Christus concessit ei hac nocte hic manere." Cui aiunt demones: "Quomodo invocasti nomen Domini super illum cum sit ipse traditor ejus." Quibus vir Dei ait: "Precipio vobis in nomine Domine nostri Jhesu Christi, ut nichil mali illi faciatis usque mane." Transacta itaque nocte, primo mane, cum vir Dei iter cepisset agere, ecce infinita multitudo demonum operuit faciem abyssi, emittentes diras voces, atque dicentes: "O vir Dei! maledictus ingressus tuus et exitus tuus, quia princeps noster flagellavit nos nocte hac verberibus pessimis, eo quod non presentavimus ei istum maledictum captivum!" Quibus vir Dei ait: "Non nobis sit ista maledictio, sed vobis erit; nam cui maledicitis est ille benedictus, cui benidicitis ille est maledictus." Demones dixerunt: "Duplices sustinebit penas in istis diebus sex infelix iste Judas pro eo quod illum defendistis in hac nocte." Quibus sanctus ait: "Non habetis vos, inquit, potestatem ullam, neque princeps vester, quia potestas Dei erit." Dixitque: "Precipio vobis, inquit, in nomine Domine, et principi vestro, ne istum extollatis amplius cruciatibus, quam antea facere consuevistis." Cui

[174] A. B. and F. add: nam Domini et fratrum suorum erat.

responderunt: "Numquid tu dominus es omnium, ut tuis sermonibus obediamus?" Quibus vir Dei: "Servus sum, inquit, Domini omnium, et quicquid in nomine ipsius precipio, fit; et non habeo ministerium nisi de his quos michi concedit." Et ita eum sunt secuti blasphemiis insectantes, donec avelleretur a Juda. Demones autem reversi levaverunt infelicissimam animam inter se cum magno impetu et ululatu.

CAPUT XIII.

THE ROCKY ISLAND OF THE HOLY HERMIT ST. PAUL.

DIU autem sanctus navigavit contra meridiem, glorificans Deum in omnibus. Tercia autem die apparuit illis insula parva procul, ad quam, dum fratres acrius navigare cepissent, ait vir sanctus: "Nolite fratres supra vires fatigari. Septem enim sunt anni ex quo egressi sumus de patria nostra usque in hoc Pascha quod venturum est; namque modo videbitis quemdam heremitam, nomine Paulum, spiritualem in hac insula, sine ullo victu corporali commorantem per sexaginta annos; nam viginti annis antea sumpsit cibum a quadam bestia." Cum autem appropinquassent ad litus, non potuerunt aditum invenire pre altitudine ripe illius. Erat autem parva insula et valde rotunda quasi unius stadii. In summitate illius nichil terre, sed tantum nuda petra in modum apparebat. Longitudo et latitudo mensure equalis erat. Circumeuntes autem illam invenerunt portum tam strictom, ut navis proram vix capere posset, et ascensus dificillimus erat. Vir autem Dei dixit fratribus: "Expectate hic donec revertar ad vos, quia vobis non licet intrare sine licencia viri Dei qui moratur in loco isto;" cumque pater venerabilis ad summitatem illius insule venisset, vidit duas speluncas ostium contra ostium in latere illius insule contra ortum solis, ac fontem parvissimum

rotundum in modum patule surgentem de petra ante ostium spelunce ubi miles Christi residebat. At ubi surgebat predictus fons, statim petra sorbebat illum. Sanctus vero Brendanus cum appropinquasset ad ostium unius spelunce, senex de altera egressus est obviam illi, dicens: "Ecce quam bonum et quam jocundum habitare fratres in unum!" Cum hoc dixisset, precepit sancto Brendano ut omnes fratres suos evocaret de navi. Quod cum fecisset, osculatus est eos vir Dei, et propriis nominibus omnes appellabat. Quo audito mirati sunt valde non solum de spiritu prophecie, verum etiam de ipsius habitu; erat enim totus coopertus capillis capitis sui ac barbe, et ceteris pillis ad pedes. Erant enim capilli ejus candidi ad instar nivis pre senectute,[175] nullumque ei erat indumentum preter pilos qui egrediebantur de ejus corpore. At vero sanctus Brendanus cum hoc vidisset adjiciens suspirio suspiria, contristatus est intra se, dicens: "Ve mihi peccatori, qui porto habitum monasticum; et sub me constituti sunt multi sub nomine istius ordinis cum videam hominem angelici status, adhuc in carne sedentem in cella, et illesum a vitiis carnis!" Cui vir Dei Paulus ait: "Venerabilis pater quanta et qualia mirabilia Deus ostendit tibi, que nulli sanctorum patrum manifestavit; et tu dicis in corde tuo te non esse dignum portare monasticum habitum! Dico tibi, pater, quia tu es major monacho; monachus enim labore manuam suarum alitur et vestitur; Deus autem suis secretis te per septem annos pascit cum tua familia et induit; et ego miser hic sedeo sicut avis in ista petra nudus, exceptis pillis corporis mei." Querente autem beato Brendano de adventu ipsius in illum locum aut unde esset, vel quanto tempore sustinuisset talem vitam, respondit ille beatus: "Ego pater nutritus fui in monasterio sancti Patricii per quinquaginta[176] annos, et custodiebam cimeterium fratrum." Quadam vero die cum michi designasset locum sepulture meus decanus, ubi quidam sepeliretur defunctus,

[175] A. B. and F. add: *tantum facies et oculi videbantur illius.*
[176] B. quadraginta.

apparuit michi quidam senex ignotus, dixitque michi: "Noli frater hic fossam facere, quia sepulchrum alterius est." Cum ego: "Pater qui es tu?" At ille: "Cur me, inquit, non cognoscis? Nonne tuus sum abbas?" Cui dixi: "Sanctus Patricius est michi abbas." At ille: "Ego sum. Heri enim migravi ex hoc seculo, est iste est locus sepulture mee." Designavit que alium locum dicens: "Hic fratrem nostrum sepelies, et nulli dicas que ego dixi tibi. Cras enim proficiscere ad litus maris, et invenies navem que te ducet ad locum ubi expectabis diem mortis tue. Mane vero facto secundum preceptum patris, profectus sum ad locum predictum; et inveni ita sicut ipse promiserat michi. Et ascensa navi cepi navigare per tres dies, totidemque noctes. Quibus transactis, dimisi navem ubicumque ventus jactasset eam. Porro septimo die apparuit michi ista petra, in quam statim intravi, atque pede percussi navem ut iret unde venerat. Illa autem velocissimo cursu sulcabat undas, rediens in patriam suam."

"Primo namque die quo intravi huc, circa horam nonam, una bestia[177] paravit michi ad prandendum piscem unum, et fasciculum de sarminibus ad focum faciendum inter suos anteriores pedes, ambulans pedibus posterioribus; cum autem posuisset ante me piscem et gramina, reversa est unde venerat. Ego vero silice ferro percusso, esca adhibita, feci ignem de graminibus et paravi michi cibos de pisce. Et ita per triginta annos, semper die tercia, isdem minister, easdem escas, id est per tres dies piscem unum attulit. Et ita michi penuria nulla fuit, sed nec sitis gratia Dei; nam in die dominica semper egrediebatur paxillum aque de ista petra, unde potuissem sumere potum manusque lavare. Post triginta vero annos inveni istas duas speluncas, et istum fontem. Ab ipso vivo per sexaginta annos, sine nutrimento alterius cibi nisi hujus fontis. Nonagenarius enim sum in hac insula, et triginta annis in victu piscium, et sexaginta[178] in victu illius fontis, et

[177] Instead of *una bestia*, A. has "lutus." B. and F. have "luter."
[178] B. has XL.

quinquaginta fui in patria mea. Omnes enim anni vite mee sunt centum quinquaginta,[179] et de cetero judicii mei diem hic expectare habeo in carne ista. Pergite igitur vestrum iter, et asportate vobiscum plena vascula de isto fonte. Necesse enim erit vobis, quia adhuc restat vobis iter quadraginta dierum usque in sabbatum Pasche ; celebrabitis vero sabbatum sanctum et Pascha, atque dies sanctos ejus ubi celebrastis per sex annos ; et postea accepta benedictione procuratoris vestri proficiscemini ad terram sanctiorem omnium terrarum,[180] et ibi manebitis quadraginta dies ; et postea Deus vester[181] reducet vos incolumes ad terram nativitatis vestre."

CAPUT XIV.

THE PARADISE OF DELIGHTS.

IGITUR accepta benedictione viri Dei, atque osculantes se in Christi pace, navigaverunt contra meridiem per totam quadragesimam ; navis autem huc atque illuc ferebatur, et erat illis cibus aqua quam ab insula viri Dei acceperant. Per triduum autem reficiendo sine ulla esurie et siti permanserunt omnes leti. Venerunt autem ad insulam pristini procuratoris sabbato sancto. Ille vero videns eos, occurrit eis in portu cum gaudio magno, omnesque levavit de navi propriis brachiis. Peracto vero, ut decebat, diei sancti officio, apposuit illis cenam. Facto autem vespere, ascenderunt navem et isdem vir cum illis, inveneruntque beluam solito loco, et ibi laudes Deo decantaverunt tota nocte et missas mane. Finitaque missa, cepit Jasconius ire viam suam omnibus stantibus in ejus dorso. Tunc cuncti fratres clamaverunt ad Dominum dicentes: "Exaudi nos

[179] A. B. and F. CXL.
[180] A. B. and F. have "terram repromissionis sanctorum."
[181] A. B. and F. patrum vestrorum.

Domine Deus noster."[182] Beatus vero Brendanus confortare eos cepit dicens: "Fratres, quid turbamini? Nolite formidare quia nichil nobis erit mali; sed adjutor imminet itineris." Belua autem recto cursu pervenit usque ad litus insule que vocatur *Paradisus avium*, ibique deposuit omnes illesos, qui demorati sunt ibi usque ad octavas Pentecostes. Transacto autem solempnitatis tempore, procurator qui cum illis aderat presens, dixit sancto Brendano: "Ascendite naviculam et implete utres de fonte isto. Ego quoque ero nunc socius itineris vestri atque ductor, quia sine me non potestis invenire terram quam queritis, id est terram repromissionis sanctorum." Ascendentibus autem illis navem, omnes aves que in insula illa erant, cum vidissent patrem, quasi una voce dixerunt: "Prosperum iter vestrum faciat insulam procuratoris, ipso simul comitante. Ibi sumpserunt expendia ad usus quadraginta dierum. Erat autem navigium illorum contra orientalem plagam quadraginta dierum. Ille vero procurator eorum antecedebat eos, iter eorum dirigens. Transactis autem quadraginta diebus, jam vespere imminente, operuit eos caligo grandis, ita ut vix alter alterum videre posset; tunc procurator ait sancto Brendano: "Pater, scis que est ista caligo?" Sanctus ait: "Nescio, frater." Tunc ille: "Ista caligo circumdat insulam istam, quam vos quesistis per septem annos. Ecce videtis eam intrare in illam." Post spacium vero unius hore, circumfulsit illos lux ingens, et navis stetit ad litus. Exeuntes autem de navi, viderunt terram spaciosam ac amplam arboribus pomiferis sicut in tempore autumpni. Circumeuntes autem illam terram quamdiu fuerunt in illa, nulla nox illis adfuit, sed lux lucebat sicut sol lucet in tempore suo.[183] Et ita per quadraginta dies lustraverunt terram illam, set finem illius minime invenire potuerunt. Quadam vero die invenerunt quoddam magnum fluvium quod

[182] Instead of this versicle, A. B. and F. have: "Exaudi nos Deus salutaris noster spes omnium finium terrae et in mari longe."

[183] A. B. and F. add: "*accipiebant tantum de pomis et de fontibus bibebant.*"

nequaquam potuerunt transvadere, vergentem ad medium insule. Vir autum sanctus ait fratribus : " Istud flumen transire non possumus, et ignoramus magnitudinem terre istius." Hec cum intra se de hac causa volverent, ecce juvenis splendida facie, venustus aspectu, occurrit osculans eos cum magna leticia, et singulos eorum propriis nominibus compellans, ait : " O fratres, pax vobis sit, et omnibus qui sequti fuerunt pacem Christi." Et post hec, addidit : " Beati qui habitant in domo tua Domine ; in secula seculorum laudabunt te." Hiis dictis ait sancto Brendano : " Ecce terram quam quesisti per multum tempus. Set ideo non potuisti invenire eam ex quo cepistis querere, quia Dominus Christus voluit tibi ostendere diversa secreta sua in hoc Oceano magno. Revertere itaque ad terram nativitatis tue, sumens tecum de fructibus istis, et de gemmis quantum potest capere navis tua. Appropinquant enim dies peregrinationis tue, ut dormias in pace cum fratribus tuis sanctis. Post multa vero tempora, declarabitur ista terra successoribus vestris, quando christianorum subvenerit tribulacio.[184] Flumen vero quod videtis dividit hanc insulam, et sicut modo apparet vobis matura fructibus, ita omni tempore permanet sine ulla umbra et turpitudine. Lux enim in ea indeficienter lucet." Tunc dixit juveni sanctus Brendanus " [Dicas] Domine pater, si ista terra unquam revelabitur hominibus ?" At ipse ait : " Quando altissimus Creator subjungaverit sibi omnes gentes, tunc ejus electis omnibus declarabitur ista terra."[185] Post hec autem, pater Brendanus, benedictione accepta a juvene, cepit reverti via qua venerat, acceptis de fructibus terre illius, et gemmarum generibus ; et dimisso procuratore suo viro predicto, qui per singula tempora refectionem sibi et fratribus paraverat, cum suis fratribus accensa navi, per caliginem, unde venerat, navigare cepit. Quam cum pertransisissent, venerunt ad insulam que vocatur *Deliciarum*, ibique trium dierum peracto hospicio, sanctus

[184] A. B. and E. persecutio Christianorum.

[185] The sentence from : *Tunc*, to *terra*, is not found in A. B. and F.

Brendanus accepta benedictione a patre monasterii, recto itinere et Deo gubernatore pervenit ad monasterium suum. Quem cum fratres vidissent, glorificaverunt Deum pro recepto patrono, quibus enarravit mirabilia Dei, que audierat et viderat. Et postea nonis julii dies vite sue finivit in pace, regnante Domino nostro Jhesu Christo, cujus regnum et imperium sine fine permanet in secula seculorum.[186] Amen.

[186] A. B. and D. have a different ending of the tract: "Fratres antem illum gratulantissime susceperunt glorificantes Deum qui tam ammabilis illos noluit patris aspectibus privari, cujus absentia tamdiu fuerant orbati. Tunc beatus vir praedictus karitati eorum congratulans narravit omnia quae accidisse recordatus est in via, quantaque ei Dominus dignatus est miraculorum ostendere portenta. Postremo etiam velocitatem obitus sui certa attestatione secundum juvenis praedictum in terra repromissionis sanctorum quod etiam rei probavit eventus: quia cunctis post se bene dispositis parvo interjacente temporis vallo sacramentis munitus divinis inter manus discipulorum gloriose migravit ad Dominum cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen." F. agrees with A. B. and D. down to *Postremo*, but omits the following sentence.

LEGENDA IN FESTO SANCTI BRANDANI EPISCOPI.[1]

BEATUS BRANDANUS natus nobili genere vir magne abstinentie et virtute preclarus, trium milium monachorum ut dicitur pater fuit. Voluit scrutari partes et fines oceani. Igitur S. Brandanus de omni congregatione electis bis septem fratribus intravit oratorium cum illis, locutusque est ad eos dicens, "Combellatores mei amantissimi consilium et adiutorium a vobis postulo; quia cor meum et cogitatio mea desiderat videre terram promissionis sanctorum, quid vobis videtur consulite." Agnita voluntate sancti patris cum uno ore dicunt omnes, "Abbas, nostra voluntas est sicut et tua. Itaque parati sumus sive ad vitam, sive ad mortem tecum ire, unam tantam quaeramus Dei voluntatem." Indixit ergo eis S. Brandanus jejunium quadraginta dierum, et postea proficisci. Transactis quadraginta diebus, salutatis fratribus commendatisque preposito monasterii sui, profectus est contra occidentalem plagam cum predictis fratribus ad insulam cuiusdam sancti patris nomine Aende ibique moratus est tribus diebus et noctibus. S. igitur Brandanus et qui cum eo erant acceptis ferramentis fecerunt naviculam levissimam, sicut mos est illi provinciæ et cooperierunt eam coriis bovinis et linierunt eam deforis omnes juncturas pellium ex butiro, et

[1] E codice MS. Bibliothecae Vallicellianae Seculi xiii.—Tom. vii. Fol. 141-3.

miserunt alias duas paraturas navis intus in navim, et dispendia xl. dierum et butyrum ad pelles preparandas operimento navis, et cetera utensilia quae ad usum vitae humanae pertinent. S. itaque Brandanus precepit fratribus suis intrare navim in nomine Domini. Cumque adhuc stetisset in littore, ecce fratres de suo monasterio advenerunt, dicentes, "volumus venire vobiscum, decrevimus enim peregrinari diebus vitae nostrao." Cumque vir Dei cognovisset voluntatem corum, dixit, "fiat voluntas vestra." Ascendentes autem navim, extensis velis coeperunt navigare, habebantque prosperum ventum. Post quindecim vero dies cessavit ventus, defecerant vero vires eorum et non poterant navigare. Confestim S. Brandanus cepit illos confortare, dicens, "Fratres nolite timere, Deus enim adjutor noster est. Mittite ergo intus omnia gubernamenta navis, et dimittite vela extensa et faciat Deus quod cumque velit de servis suis." Aliquando autem ventum habebant, tamen ignorabant ex qua parte veniebat, aut in qua parte navis ducebatur.

Consummatis jam xl. diebus, apparuit eis quaedam insula a parte septentrionati valde saxosa et alta. Cum autem, appropinquarent ad litus illius, viderunt rupem altissimam, sicut murus, et diversos rivulos decendentes de summitate insulae fluentes in mare, tamen minime poterant invenire portum, ubi navis posset capere terram. Fratres enim vexabantur valde siti. Cum autem circuivissent insulam illam tertia die circa horam tertiam invenerunt portum. Erat autem ibi petra incisa ex utraque parte mirae altitudinis sicut murus. Cum autem omnes qui erant in navi descendissent, et ambularent juxta mare, occurrit illis canis unus et venit ad eos. Tunc S. Brandanus dixit fratribus suis, "Bonum nuntium misit nobis Deus." Tunc fratres secuti sunt canem usque ad oppidum. Intrantibus autem oppidum viderunt magnam aulam paratam sedibus et lectis. Tunc S. Brandanus dixit fratribus suis, "Cavete ne Sathanas decipiat vos. Video enim ex tribus fratribus qui post nos venerunt ex monasterio unum suasum

furtu pessimo; orate pro anima eius, nam caro eius tradita est in potestate Sathanae." S. Brandanus precepit ministro suo qui solebat apponere panem fratribus, "fer prandium quod misit nobis Deus," qui statim surrexit, et invenit mensam positam et linteamenta, et panem miri candoris, et pisces. Comedentibus et bibentibus dixerunt, "qui dat escam omni carni confitemini Deo coeli;" finita vero cena, dixit vir sanctus, "Requiescite, ecce singuli lecti bene parati, opus est vobis ut detis membra quieti ex labore nimio navigii vestri." Morantibus tribus diebus et tribus noctibus S. Brandanus precepit fratribus suis ut nichil de insula secum ferant.

Accepta benedictione coeperunt navigare: quadam vero die viderunt aliam insulam; cum ergo coepissent circuire illam, viderunt aquam emanare de diversis fontibus plenam piscibus. S. Brandanus dixit fratribus suis, "Comedamus hic quia cena Domini est hodie, et manserunt ibi usque in sabatum sanctum." Perambulantes autem illam invenerunt ibi diversos greges ovium. Convocatis fratribus, dixit illis, "Accipite quae sunt necessaria ad diem festum de grege," et ibi celebraverunt pascha.

Postea sequenti die pervenerunt ad aliam insulam ubi erat fons, et ibi erat arbor mirae latitudinis, non minimae altitudinis tota cooperta candidissimis avibus. Cumque vidisset haec vir Dei, coepit cogitare intra se quae causa fuisset tanta multitudo avium, deprecans Deum ut revelaret quae aves illae essent. Tunc una ex illis avibus volavit et venit ad navem ubi erat vir Dei. Quae statim ait, "Nos sumus de illa magna familia antiqui hostis, sed non peccando aut consentiendo sed ubi fuimus creati, per lapsum illius, cum suis satellitibus contulit nostra ruina! Deus autem, rex regum misit nos in locum istum, poenas tamen non sustinemus. Vagamus per diversas partes aeris et firmamenti, sicut alii spiritus qui mittuntur, sed in sanctis diebus atque dominicis laudamus creatorem nostrum. Tu autem cum tuis fratribus habes unum annum in tuo itinere, et adhuc restant sex. Scitote ubi pascha

celebrasti, ibi omni anno celebrabis, et postea venies." Avis illa coepit volare ad alias. Cum autem vespera hora adveniret coeperunt omnes quae in arbore erant quasi una voce cantare, percutientes latera, dicentes, "Te decet hymnus in Sion et tibi reddetur votum in Jerusalem," et semper reciprocabantur predictum versiculum. His omnibus finitis, vir Dei, et qui cum illo erant, dederunt corpora quieti, usque ad tertiam vigiliam noctis. Evigilatus vero vir Dei cum fratribus, coepit dicere "Domine labia mea aperies." Tunc omnes aves alis et ore sonabant dicentes, "laudate eum omnes angeli eius; laudate eum omnes virtutes eius." Cum autem aurora refulsit, coeperunt cantare, "et sit splendor Domini nostri super nos." Similiter ad tertiam istum versiculum decantabant, "Psallite Deo nostro; psallite regi nostro, psallite." Ad sextam "Illumina vultum desuper nos, et miserere nostri." Ad nonam "Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum." Ita die et nocte aves reddebant Domino laudes. S. vero Brandanus mansit in eodem loco usque in pentecostem, et illorum refocillatio erat avium cantus.

Profisciscentibus inde venerunt ad quoddam monasterium ubi invenerunt fratres ad servitium Dei bene instructos; erat enim ecclesia illa quadrata tam longitudinis quam altitudinis, et habebat septem luminaria, tria ante altare quod erat in medio et bina ante duo altaria. Erant altaria de cristallo quadrato facta, et eorum vascula similiter ex cristallo. Patenae et calices, et urceoli, et cuncta vasa quae pertinebant ad cultum divinum: tantum silentium erat eis quod penitus non loquebantur. Interrogans S. pater Brandanus sanctum patrem de illorum silentio et conversatione, quomodo potest esse in humano corpore, tunc predictus pater cum magna reverentia respondit, "Abbas, coram Christo meo fateor octaginta anni sunt postquam venimus in locum istum." S. Brandanus ait "licet nobis habitare vobiscum?" qui respondit, "non: revelavit tibi Deus quae te oporteat facere? Et enim oportet reverti ad locum tuum cum quatuordecim fratribus tuis, ubi

preparavit Deus locum sepulturae vestrae." Dum inter se haec talia loquerentur, ecce illis videntibus sagitta ignea demissa per fenestram incendens omnes lampades quae erant positae ante altare, quae confestim reversa est foris predicta sagitta, tamen lumen remansit in lampadibus. Interrogavit Beatus Brandanus a quo extinguerentur mane lumina. Cui pater sanctus "Veni et vide sacramentum rei. Ecce tu vides candelas ardentes in medio vasculorum, tamen nihil de his exurit, ut minores sint aut decrescant neque remanebit ulla favilla, quia spirituale est." S. Brandanus ait, "quomodo possunt in corporali creatura lumina incorporalia corporaliter ardere?" Respondit senex, "Nonne legistis rubum ardentem in Monte Sinai et tamen remansit rubus illesus ab igne?" Evigilans autem S. Brandanus totam noctem petivit licentiam profisciscendi. Cui senex pater ait, "Hic celebrabis nativitatem Domini usque ad octavam Epiphaniae."

Arripiens ergo iter Dei vir cum fratribus viderunt insulam a longe. Ait vir Dei "Haec est insula in qua fuimus altero anno in cena Domini, et ibi insula quae dicitur paradisus avium, ubi fuistis in preterito anno a pascha usque ad octavam pentecostes." Appropinquantibus autem ad portum ipsius insulae, omnes aves una voce cantabant dicentes, "Salus Domino nostro sedenti super throno et agno." Tunc una de illis avibus perrexit ad navem dicens illis. "Deus proposuit vobis, quatuor per loca, quatuor tempora usque dum finientur septem anni peregrinationis vestrae. In cena Domini eritis cum procuratore vestro omni anno. In dorso belluae pasca celebrabitis vobiscuma festo pascali usque ad octavam pentecostes. Apud familiam Ailbi Domini nativitatem celebrabitis. Post septem annos antecedentes magnae ac diversae periclitationes erunt vobis. Invenietis terram repromissionis sanctorum quam quaeritis, et ibi habitabitis xl diebus, et postea reducet vos Deus ad terram nativitatis vestrae." S. pater ut audivit, prostravit se ad terram cum fratribus referrens gratias et laudes Creatori Deo.

Haec et alia multa vidit Beatus Brandanus, et sustinuit in mari oceano, quae longum est enarrare. Dum ipse vir Dei ambularet, apparuit illi mons altus quasi pertingens ad nebulas et valde fumosus erat in summitate. Non diu stetimus et pervenimus ad litus. Tunc unus ex fratribus qui secuti erant Sanctum Brandanum exiliit foras de navi et coepit ambulare juxta ripas ; qui coepit clamare dicens, " Ve mihi ! non possum reverti ad vos." Fratres vero confestim navem retrahentes a terra clamabant ad Dominum dicentes, " Miserere nobis Deus miserere nobis," quum autem a longe aspexissent illam insulam, viderunt montem discopertum a summo, et a se expirantem flammam usque ad ethera et iterum a se easdem flammas respirantem, ita ut totus mons usque ad mare unus locus apparuisset.

Igitur S. Brandanus cum navigasset contra meridiem, apparuit illis in mare quaedam formula hominis sedentis supra petram, et velum ante illum, a longe quasi mensuram unius sagi, pendens inter duas forcellas ferreas, et sic agitabatur fluctibus sicut navicula solet quum periclitatur a turbine. Alii ex fratribus dicebant quod avis esset ; alii navim putabant. Cum autem appropinquassent ad illum locum, invenerunt hominem sedentem supra petram hispidun ac deformem et fluctuationes maris confluebant ad illum, et percutiebant eum usque ad verticem et quum recedebant, apparebat illa petra nuda in qua sedebat ille infelix. Pannus quoque qui ante illum pendebat aliquando minabat illum ad se, aliquando percutiebat eum per oculos et frontem. S. Brandanus coepit illum interrogare quis esset, aut pro qua culpa missus esset ibi, seu quid meriti habuit, ut talem poenitentiam sustineret. Cui ait, " Ego sum infelicissimus Judas, atque negotiator pessimus ; non merito habeo locum istum, sed misericordia ineffabili Jesu Christi ; non mihi dabatur poenitentae locus, sed per indulgentiam redemptoris propter dominicam resurrectionem. Nam tunc dominicus erat dies. Mihi enim videtur quum sedeo hic quasi sim in paradiso delitiarum, prop-

ter timorem tormentorum quae ventura sunt in hoc sero. Nam ardeo ut massa plumbi liquefacta in olla, die ac nocte, in medio montis quem vidistis, et idem mons erat infernus; laetus quum emisisset flammas ingentes, et sic facit semper quando devorat animas impiorum. Modo vero refrigerium habeo hic, omni die dominica, a vespere usque ad vesperas, et in Nativitate Domini usque ad Epiphaniam, et a Pascha usque ad Pentecostem, et in Purificatione Dei Genitricis atque Assumptione. Postea crucior in profundo inferni cum Herode, Pilato, Anna et Caipha. Idcirco conjuro vos pro redemptione mundi ut intercedere dignemini ad Dominum Jesum ut habeam hic potestatem esse usque ad ortum solis cras, ne me demones in adventu vestro crucient atque deducant in malam hereditatem quam paravi malo preterito." Cui sanctus ait, "Fiat volantas Domini. Quis pannus est iste?" qui ait, "Istum pannum dedi cuidam leproso quum eram cum Domino Jesu Christo, tamen non habeo ab illo ullum refrigerium, sed magis prestat impedimentum, quia meus non fuit. Furcipem etiam ferream ubi pendet dedi sacerdotibus templi. Petra in qua sedeo, illam misi in foveam in via publica sub pedibus transenutium antequam fuissem discipulus Domini." Cum autem esset hora vespertina, ecce multitudo demonum vociferantes atque dicentes, "Recede a nobis, vir Dei, quia non possumus appropinquare ad socium nostrum, usque dum ab illo recedas, nec faciem principis nostri ausi sumus videre donec sibi reddamus amicum suum." Quibus ait vir Dei, "Non ego defendo sed Dominus Jesus Christus concessit illi istam noctem hic esse usque mane." Cui aiunt demones, "Quomodo invocas nomen Domini super illum, cum ipse traditor eius fuit?" Quibus vir Dei respondit, "Precipio vobis in nomine Jesu Christi ut nihil mali illi faciatis usque mane." Et ita factum est.

Sanctus vero Brendanus cum suis comilitonibus navigavit contra meridianam plagam, glorificans Deum in omnibus. Decursis itaque septem annorum temporibus, pervenit ad

terram repromissionis sanctorum, ad insulam quae vocatur deliciosa, et ibi tamdiu stetit, quamdiu plac uit Altissimo. Tandem reversus est ad terram nativitatis suae, narrans ea quae in mari oceano viderat cunctis glorificantibus Dominum de mirabilibus quae audiverant. Postremo etiam velocitatem obitus illius certa testatione notavit ; parvo interiacente tempore sacramentis divinis munitus, inter manu discipulorum gloriose migravit ad Christum.

LEGENDA BREVIS.

[The following *Lectio* for St. Brendan's Festival is found in two MSS. of the National Library, Paris.]

IGITUR venerabilis Brendanus in provincia stagnile Mummensium[1] natus, et sub doctrina evangelica vel sanctorum patrum studio eruditus, usque ad perfectam etatis sue palmam, Domini est sequtus vestigia. Adhuc vero in adolescencia positus, cepit diutinis jejuniis corpus affligere. Ita namque in Dei famulatu erat jugiter occupatus, ut divino juvamine ancillacioni subderet insolenciam carnis, et racioni attribueret prerogativam dominacionis. Maturescente vero jam etate, quibuslibet viciis jam compressis, cotidie se robustior virtutibus succrescebat. Tanto igitur superne benediccionis honoratus

[1] MS. 2,333, A. Colbert, *Paris*, has Mimencium.

munere in anteriora voluit se semper extendere, ut, secundum Apostolum, ea que retro sunt obliviscens, sequeretur bravium remuneracionis eterne; et quomodo prius animas ad fidem religionis adducere posset, totis viribus elaboravit, atque Deo adjuvante eas ad perfectum penitentie fructum perduxit. Multa quidem de ejus mirabilibus gestis inferre possemus, set qualiter ad Dominum migravit, vel quid de eo alii patres viderunt, huic operi inserere placuit. Quadam ergo die, dum sanctus Columbanus conversaretur in Jona insula, mane primum advocat ministratorem Diormicium, eique precepit inquiens: "Sacra celeriter Eucharistie misteria preparentur, hodie enim natalis est sancti Brendani dies.—Quare, ait minister, talia missarum sollempnia hodierna preparari precipis? Nullus enim ad nos, de Scocia, sancti viri illius opitus pervenerit nuncius.—Vade, tum ait sanctus; mee visioni obsecundare debes. Hac enim nocte preterita vidi subito apertum celum, angelorumque choros sancti Brendani anime obvios descendere, quorum luminosa et inestimabili claritate totus eadem hora est illustratus mundus. Ad thronum quippe deifice majestatis officio angelorum cum tripudio exultacionis sublevatur. Fulgida nunc gloriose remunerationis laurea coronatur, ad cujus etiam transitum omnis congregacio concurrit ac populus." Deinde gaudet Christi confessor, et in eternum gaudebit de gratissima eorum societate in celis, quorum doctrinis et exemplis instructus celestem vitam duxit in terris. Sacras denique exequias, more ecclesiastico celebrantes, sanctissimum committunt terre corpus ejus, et in sanctis suis, Deum mirabilem glorificant, qui cum eterno Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

MISSA IN FESTO SANCTI BRENDANI.

[From MS. 2,333, *A. Colbert.*]

ORATIO.

DEUS, qui hodiernam diem sacratissimam nobis, beati Brendani confessoris tui atque abbatis solempnitate, tribuisti, adesto piis Ecclesie tue precibus, ut cujus gloriatur meritis, muniatur suffragiis.

SECRETA.

SACRIS altaribus, Domine, hostias superpositas beatus Brendanus abbas in salutem nobis pervenire deposcat.

POST COMMUNIONEM.

PROTEGAT nos, Domine, cum tui perceptione sacramenti beatus Brendanus abbas pro nobis inercedendo, ut conversacionis ejus experiamur insignia, et intercessionis ejus experiamur suffragia.

FINIS.

INDEX.